~~C 7841~~
Uc 9680
Biblioteka Jagiellońska
stdr0008369
Uc 9680

CHRONOLOGIA
SYNOPTICA,
PALMITIS CORIBVTEI;
AD
Auguſtiſſimam Coronationis Diem,
Sereniſsimi ac Potentiſsimi Domini, Domini,
MICHAELIS I.
DEI GRATIA, REGIS POLONIÆ,
Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ,
MAGNI DVCIS, &c.
Hiſtorico Senſu producta.

PER
STANISLAVM à Sternberg TEMBERSKI,
V. I. D. Canon: Premiſlien.


TANDEM
In Proſcenium Totius Europæ euocata,
Affectu Veritatis Prodromo
Celeberrimorum Scriptorum firmata.

Petri Dusbarchij, Lithuani; Venceslai Hagetij, Bohemi; Matthiæ Stricouij, Roxolani; Bartholomæi Paprocij, Poloni; Herberſteini, Liuonis; Adolphi Brachelij, Almani; Bonfinij, Hungari; Eobani, Moraui; tùm Dlugoſsij, Prutheni; Pawłowij; Sulikowij; Karnkowij; Buchini; Bzowij; Herburti; Vapouij; Sarnicij, Biercouij; Varſeuicij; Petricij; Lipſcij; Lubinſcij; Piaſecij, aliorumque Geſtorum Europæorum Collectorum præſtantiſsimorum, Notatis inſiſtens, & cohærens.

Anno à Partu Virginis 1669. Die 6. Octobris.

CRACOVIÆ,
In Officinâ Typographica, Staniſlai Piotrkowczyk, S. R. M. Typogr.

78



Ex
Biblioth. Regia
Berolinensi

INCLYTIS AC CELSISSIMIS

DOMINIS.

DVCIBVS IN WISNOWEC ET ZBARAZ,
FRATRIBVS GERMANIS.

D. DEMETRIO:

PALATINO BEŁZENSI.
EXERCITVVM REGNI, CAMPESTRI
GENERALI; BIALOCERKW: DRAHIMEN:
LVBOMLENSI GVBERNATORI:

Heredi in Załoſce, Manacyn, Sarnawec, Wołoczyſka, Karabczyiow, Niemirow, Ladyzyn, Bubnowka, Bałanowka, Sawran, Sobolowka, Berſadz, Kiliowka, Oſiowka, Bereſka, Dimitropole, Conſtantinopole, Kataſzyn, Bundurowka, Zerdenowka, Torkanowka, Niſkowce, Siedziow, Treſtanec, &c. &c.

D. CONSTANTINO

HEREDI IN IAMPOL, OZOCHOWCE,
Biłakrynica, Czarny Oſtrow, Suhodoły, Pohrebiſce, Dziunkow, Sanhorodek, Szpyczynce, Ierhaczow, Berezna, Antonow, Ołodarka, Torczyce, Borczohowka, Konela, Zabrycha, Wachnogrobla, Boſowka, Manaſteriſcze, Deſzka, Tarlica, Daſzow, Olſzanica, Zmigrod, &c. &c.

Dominis, Dominis Colendiſſimis.

M*VTVA Felicitas Veſtra* DVCES CELSISSIMI *profluxit in Orbem Europæum; quando Sereniſsimum* MICHAELEM REGEM *Poloniæ, Sanguine Patruelino Vobis coniunctum, in Solio, multarum Lechicarum Dynaſtiarum, auſpicatè collocatum, contemplamini. Quæ Felicitas etiam ad Veſtras Celſitudine Spectat, omniſque Titulus ac Cumulus Proſperitatis Deo Opt. Max. emanata; quæ in* WISNOVECIORVM *Ducum Clariſsi-*

risſimis Virtutibus ac Meritis, tanquam in fundamento firmiſſimo constituta, Fulgentibus Syderibus Veſtris promouentibus, Augem obtinuit. Quare permittetis Ruſsicas Coronas inſtrui, à Ruſsico Præſtite; Hiſtoricas periodos, Celeberrimorum Scriptorum iam Sago, iam Togâ Florentium contemplante ac imitante! quæ Corona de Tropheis Victoriarum, vario ex Hoſte feliciter partarum, in hac SYNOPTICA PALMITIS CORIBVTEI CHRONOLOGIA *expreſſa meritiſſimo iure contextæ Vobis offeruntur. Etenim fulgentibus auro ac gemmis Coronis, Vallaribus, Obſidionalibus, Caſtrenſibus, Triumphalibus, Mars* WISNOVECIVS *floruit floretq́; ab Annis vix non Quadringentis: quem nec aſperitas lucis brumalis, nec ardor æſtiualis, nec pulueres faſtidioſi, nec pluuiæ moleſtæ, nec Sudores laborioſi, nec gelidæ niues, nec glacialia itinera, nec fluuij inuadabiles, nec flammantes pyrici boatus nec telorum Scythicorum grandines, nec denſis nebulis oppletæ pruinæ, nec armorum ſtridentium horrendus fragor, nec Ottomanici lunati acinaces, nec Moſchicæ ſecures, nec Pruſsici Liuoniciq́; conti, nec Hungaricæ macheræ, nec Suecica verua, poterant terrere & auocare, à Patriæ legitima defenſione: cui, vt Sors iubebat & precioſas gazas, & Sanguinem ipſum quo nihil in mundo precioſius, propenſiſſimo & effuſiſſimo affectu, Celſiſſima Domus* WISNOVECIA *publica neceſſitate vrgente Amore indefeſſo boni publici accenſa, vltrò offerebat. Vt autem Maiorum Veſtrorum, Fortiſſimorum Heroum, renouetur memoria, & ad hoc Felicitatis culmen perueniens, perennare valeat, in Seræ poſteritatis Succeſſoribus; producitur in Hemiſphærium Polonum, Hiſtoricum licet exile Scriptum; quo euulgato magis informabuntur Gentes inſciæ, ac rerum Lechicarum ignaræ, quantus ſit Ducum* WISNOVECIORVM *Sanguis! quanta Claritas Fortitudo, Conſtantia, Iuſtitia, Liberalitas; quantus Amor in Reges, Rempublicam, Ciuesque Seruatos, magna ſerie bellorum atrocium conteſtatus. Quocirca Duces Celſiſſimi; permittetis Gentis Veſtræ, Geſta deduci, atque Luce publicâ illuminari; cuius fauſtam Vſuram Vobis, quàm diutiſſimam, vnà cum feliciſsimo rerum ſucceſſu, animitus exopto.*

Veſtrarum Celſitudinum,

Propenſus Seruus.

Staniſlaus à *Sternberg* Temberski, V. I. D.
Premisl. Canon.

CHRONOLOGIA PALMITIS CORIBVTEI.

NON alio motu, productus nuper ad Actum Coronationis Sereniſsimi & Auguſtiſsimi Principis, MICHAELIS I. Poloniæ Regis, Lith. Ruſſ. Pruſſ. &c. &c. Magni Ducis, PALMES CORIBVTEVS; niſi vt Subiectus Prudentiſsimorum iudicio, Teſtimonium Obſequij debiti, & Affectus propenſi, conſequeretur; maximè apud Eum; quem DEVS Opt. Max. in Orbe Polono, Monarcham collocauit. Quia verò PALMES REGIVS, in priuatis lucubrationibus reſidens, plurimis excitauit Scrupulum; Cur Hiſtoricæ deductionis non eſſet appoſitum pondus? ad deſumendam Nexus IAGELONICI, cum Germine CORIBVTEO luculentam Cognationem? exiſtimaui eoſdem in Annalium Poloniæ, Lithuaniæ, Ruſsiæ Bohemiæ, aliorumq́; Inuolucra delapſuros; qui & Iagelonico & Coributeo Germini, Genus fuiſſe idem facilè concluderent. Ea propter non fugaci memoria, promiſeram me, Palmitis Medullam recorticaturum, Diuino Beneficio tot ſeculis conſeruatam; aſt Vita Comite? ne ſcilicet Operulæ prioris contextus, ſequentis Opellæ Materiam exhauriret; neue Lectorem, circa Feſtiui Actus Specioſum tractum, efficeret tœdioſum ac faſtidientem. Proinde ne Charetis promiſsis laborem; ſi Haſtam obtuli? offero & Caduceum: publico Conſpectui expoſiturus, Ducali Sanguine, Regali Cognatione Clariſsimos Heroes; qui Martijs periculis ſat excellenter deguſtatis, Dominia Florentia Regni Poloniæ, longè Florentiſsima reddiderunt. Proferuntur igitur PALMITIS CORIBVTEI Archetypa Simulachra, de Hoſte diuerſiſsimo Trophæa parta geſtantia; deductionem firmam porrigentia, Generis Coributei Fortiſsimorum Factorum: quod & GEDIMINI, & OLGERDI, & IAGELONIS, Principum Victorioſiſsimorum, Memorabilia Exempla, & imitabatur, & ſequebatur.

Primum Gradum Claritatis ac Victoriarum aſcenderat *Gediminus*, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſsiæ Vtriuſque Princeps, Filius *Vitenenis* Magni Ducis Lithuaniæ, qui *Anno D. 1300.* in Filij Gedimini altam memoriam Arcem muratam erexerat Gedimin dictam, ad Pruſsicos Limites; ob Amorem paternum, quo Filium proſequebatur. Porrò VITENENE mortuo, ſucceſsit GEDIMINVS in Ducatum Lithuaniæ, Imperium Occidentis *Ludouico*; & IOANNE Pontifice 22. gubernantibus.

Suſceperat Prolem ex Conſorte POŁOMA Ducíſſa Moſchouiæ; OLGERDVM; ALDONAM; DACIMILAM; Aſt *Aldonam* Gedimini Filiam; ad Conſortium Connubiale acceperat, VLADISLAI

LOCTICI Filius Casimirus; qui *Anno D.1320.* Annum Ætatis 18. agens, Gentilitatis reijciendæ Author extitit in Consorte, propensa ad Fidem Catholicam Romanam; quam Aldonam Episcopus Cracouiensis, *Naukerus* Annam baptisauit. Cuius Annæ Gedimineæ Maritus CASIMIRVS, vocatus erat MAGNVS; Ob magna Specimina Heroicorum Factorum.

Altera Filia erat GEDIMINI *Dacimila*; quam in Vxorem duxerat Potens Dux Mazouiæ IANVSIVS, dictus vulgari sermone Mazouico WANKO.

Ob eum nexum, cum VLADISLAO Loctico, Rege Poloniæ; Gediminus arma coniunxerat, contra Prussos, Crucigeros, cum quibus cruenta prælia tractata: tandem *Anno D. 1328.* feliciter terminatâ; *Ioannis* Regis Bohemiæ, à parte Crucigerorum mediatione; tum CAROLI Regis Hungariæ, à parte VLADISLAI LOCTICI, Regis Poloniæ; in cuius mediationis tesseram, Dobryniæ & Bydgostiæ Districtus ampli, Polonis sunt restituti. Pacta tamen indecisa manebant, ob absentiam *Ioannis* Regis Bohemiæ.

Eo Anno CAROLVS Rex Hungariæ, à quodam Feliciano Hungaro Zacharo, alias Saccario appreciato, summo in periculo Vitæ versabatur, Die ipso Paschatis ad Cœnam sedens; nisi ille latro, à Ioanne Potocki captus, terræque allisus fuisset? quem Hungarum Satellites Regij, ob vulnus ad humerum Regis tentatum, Potoccio mandâte, in frusta minutissima dissecauerunt, etiam armis eius minutim concisis.

Interim *Gediminus* Filius Vitenenis, pacatos dies celebrans, Lithuaniamque regens; in eo Monte, super quo pro nunc Arx Vetus Vilnensis hæret; telo balistæ, Vrum ferocem trucidauerat; cuius Cornua auro obducta possidebat Gediminus, & ex ipsis inter sympolia, alacriter potum sumebat, cum commensalibus.

Verùm *Anno 1429.* Dum *Sigismundus* Imperator Romanus, descenderat ad Comitia Fœderata, Luceoriam vsq; ! Bellicosoque *Vitoudo* Duci Lithuaniæ, Draconem aureum in Amicitiæ Pignus donauerat; pari certatu amoris flagrans *Vitoudus* [qui Trocis mortuus, post peracta feliciter bella] *Sigismundo* Imperatori, Cornua Vri *auro obducta redonauit: in signum Fœderatæ Vicinitatis.*

Iam verò OLGERDVS Filius Gedimini, Militiæ Lithuanicæ ac Rufsicæ Dux erat, *Anno. 1327.* Patre Gedimino Prussicam Marchiam vastante; qui Exequijs Gentilibus peractis Vilnæ, Patri Gedimino; successit ad M. Duc. Lithuaniæ; cuius possessionem firmauit, in Gubernio Arcis *Krewo* seu Sanguineæ dictæ, dominiumque Lithuanicum produxit ad Fluuium Berezinam nuncupatum, versùs alluuia Orsæ.

Quia verò *Olgerdus* VLODIMIRO Duci Rufsiæ ac Vitebsci conterminus erat; ideo Iulianam Filiam eius assumpsit ad Consortium Vitæ humanæ; & per iura Dotis possederat Ducatum Vitebsci, Seueriæ, atque Czerniechouiæ, quibus Ducatibus prolem fecundam præfecerat.

Idem OLGERDVS, Patris GEDIMINI pugnæ adfuit Fridburgensi & Betierensi. *Anno D. 1328.* in qua pugna, per Germanos, contra Lithuanos ac Polonos, nouiter & primitùs, adhibitæ bombardæ, pyrico puluere ac globis oneratæ; contra quas bombardas, arma opponebant consueta Gediminus ac Olgerdus; nimirum Gladios, Arcus, balistas & hastilia non admodum prælonga. Talium armorum contra Germanos ac Prussos obiectu, vsus Gediminus circa Arcis VELLONÆ oppugnationem, in qua cohortes proprias animans, ac assultus fortes adhibens, ignito globo per dorsi fibras, erat transfixus. Eo ex vulnere lethali spoliatus Vitâ, mortuus ac incineratus rituGentili Vilnæ: & à Filijs Septem, magnificè ad rogum deportatus.

Aliquot enim *An. D. 1329.* Equi Militares cum phaleris preciosis, flammis sunt absumpti, vnà cum duobus Ephebis fidelioribus; qui Viui in precium fidelitatis, alacriter inter flammas prosilierant, Vitam Domini sui, ad Astra relaturi. Iniecti præterea ad rogum Gentilitium, Falcones; Vertagi; & preciosa vasa, indumenta, aliaque multa ornamenta, vna cum frameis, arcubus, balistis, in signum perennitatis adeundæ.

Peractis Funeralibus obsequijs, Patri Gedimino OLGERDVS, successerat in M. D. Lithuaniæ, Podoliamque iure Hereditatis occupauerat, *A. D. 1331.* ex qua inuasores Scythas eiecturus, admouerat Lithuanas Legiones, Rufsicasque; atque incolatus ergò firmandi, Lithuanis domicilia designauerat, Kameneciam, Skalam, Bekociam, aliosque tractus fertilitate omnigena gaudentes.

Quare OLGERDVS ex Consorte *Iuliana*, Ducissa Vitebsci ac Seueriæ, susceperat Filium *Constantinum*; qui prehenderat Ducatum Czerniechouiæ, & Czartorium. A quo Duces Czartorij, Genus proprium trahunt. Susceperat & *Theodorum* Sanguskonem, à quo Duces Korecenses & Kouelenses, primitias Sanguinis hauserunt.

Iam autem ex Secunda Consorte *Marea*, (quam Scriptores temerè Mariam appellitant) Ducissa Tuerensi, (qui Ducatus in Moschouia non postremos gradus obtinet) Susceperat idem OLGERDVS Lithuaniæ ac Rufsiæ Dux, IAGELLONEM, aliosq; Filios; inter quos eminens CORIBVTVS erat; qui circa baptismum Græci ritus in Vnione persistentis, Nomen DEMETRII assumpserat, in tutelam Vitæ feliciter promouendæ. Ab eo Duce Seueriæ, Czerniechouiæ, Nouogrodi, Rufsiæq; Principe, Lineam Sanguinis Veram, Zbarasij, Wisnouecij traxerunt. Quintus inter Filios *Olgerdi*, ex Matre *Marea*, DEMETRIVS fuit; à quo Duces Korecenses fontem Germinis possident.

OLGERDVS itaque Ducatum Lithuaniæ moderabatur; cuius mode-

moderationi cesserat *Kieyskutus*, Fratre *Iaunnuto* oppresso: qui Olgerdus Patris Gedimini occasum vlturus, assumptis Fratribus, ad bellum contra Prussos, progressus hostiliter in Prouincias vicinas; Arces Samogiticas Fridburgum, ac Beierum, continguas fermè Arci Velonæ, funditus deuastauit. Tandem non firmatas Milite Ciuitates ac Oppida; Elbingam, Regiomontum, Elspergiam expugnauit; furoreque belli ardentis, Terris Sabiensi, Natangensi, Pomesanensi, Varmiensi flammas adiecit; nulli sexui ac ætati Gentis Germanicæ parcens.

Tali furore bellico Crucigeri perciti; ad pacta cum Olgerdo fæderanda descenderunt. Ad quæ facilius obtinenda ac firmanda, Arces in Lithuania & Samogitia occupatas, Victori OLGERDO, ex nunc tradiderunt: Donariaque magnifica adiecerunt, firmitatem amicitiæ postulantes. Hæc Pacta Iuramentis expressis, Voce ac Scripto vallata erant per Prussicos Commendones; super omnibus punctis ac Clausulis, Vice-Magistro Prussiæ *Theodorico* consentiente. Ad quorum robur *Vladislaus Locticus* accesserat, vti Vicinus Prussis Rex Poloniæ; ipseque DEMETRIUS Semeticius Dux Moschouiæ, pro omnibus punctis tenendis Fideiussor extiterat; Pactis illis tantum ad biennium, mutuam securitatem protegentibus.

Firmatis Pactis Olgerdus cum Crucigeris ac Liuonibus; è Vestigio arma Lithuanica ac Russica mouerat, contra Scythas ac Tartaros; & legiones proprias eisdem opposuit, ad Campos Kaniouenses & Cirkasenses: tandem ad Sinam Wodam, cum Regulis Tribus Scythicis decertans, eosdem eiecit Marte secundo, ab Oris Bilocerkuensibus, Ocakouensibus, Kiiouensibus, Putiulensibus, ripasque Volgæ adimens, pepulit in meditullium Tauricæ regionis.

Eodem *Anno 1331*. Poloniam Crucigeri iniquo Marte inuaserant, immemores *Vladislai* Loctici Regis Poloniæ, ad Pacta firmanda propensionis: furentibusque armis Kuiauiam, Kalisiam, Leczyciam, Syradiam, Dobryniam turpiter deuastauerant: quos tamen *Vladislaus* Lokietek, licet Quadraginta millia armatorum habuerant, clade memorabili die 29. Septembris, ipso Die Festo S. Michaelis Archangeli, profligauit. Ad quam Victoriam cruentam; Florianus Sarius Zamoiscius, (Abnepos Tritaui illius Sarij Zamoiscij; qui *An. D. 550.* cum Lecho Conditore Poloniæ, versùs Gnesnam Comitatum de Czesow acquisiuer at; Cognationemque cum Radiuilis Ducibus, Tarnouijs, Ociescijs, Herburtijs, nexu Sacro firmauerat) tribus Hastis transfossus erat; quæ vulnera lethalia aduertens *Vladislaus* Rex, Virum admodum Eximium curari demandauit; eidemque Gratiæ Regalis testimonia, declarauit amplissima.

Cum verò Vicinitatis Iura, Dux Moschouiæ *Demetrius* Semeticius, cum *Olgerdo* voluit esse violata; in signum hostilitatis, submittens eidem Frameam, & Ignem: promittens se visitaturum, *An. D. 1332.* eum, pro Paschalibus diebus, ad Ouum gustandum Paschaliter pictum? Miratus hominis superbiam, simulq; perfidiam *Olgerdus*; Ferijs medijs Quadragesimæ, arma duxit mouenda contra Semeticium! moxque Sedem Moschouiæ attingens, ante Paschales dies; præmiserat *Demetrio* per Legatos, Ignem fasciatum ardentem; ad cuius extinctionem promisit se Olgerdus venturum, cum Ouo offerendo picto. Extunc *Olgerdus* ipso diluculo Sacræ Dominicæ Paschalis, mænia circumsessit Moscuæ, armato milite; Legionesque valorosas Lithuanicas ac Russicas, arctæ obsidioni tenendæ, destinauit. Tali insperata hostilitate, Dux Moschicus *Demetrius* circumsessus, properauit quamprimùm ad Fœdus cum Olgerdo percutiendum; quod admittens Olgerdus, iuribus Vicinitatis suadentibus; inter Conditiones, eam singulariter requisiuit; vt in Arce Moschica primariâ, pateret ingressus Olgerdo armato, cum trecentis Viris hastatis. Quæ conditio, dum Moschis videbatur plena periculi! decreuit Olgerdus non se percussurum Fædus; nisi eâ Conditione adimplenda. Moschi igitur, timore perculsi, armati circumstabant; Olgerdum ad Arcem, immissuri ac introducturi. Quare *Olgerdus* ingressus Arcem cum Equitibus; Ducem *Demetrium* Salutauit; moxque Ouum Paschale depictum, sibi in opprobrium promissum, eidem reddidit; adloquens: Vide Demetri, me surrexisse maturiùs ad Ouum degustandum! postque illud alloquium stupendum; Olgerdus hastam muro illisit; aliamque integram ad parietis radicem in terra defixit; vt memoria firmâ reperent Moschi; Lithuanos ac Russos, cum Olgerdo, ad intima Arcis Moscuæ penetralia, hostiliter accessisse. Hinc Demetrius Moschicus Dux, constitutus extra periculum, petijt ab Olgerdo condonari sibi reatum; quod obtenturus, Magnos thesauros Olgerdo obtulit, illiusque Exercitui stipendia promerita persoluit; exdiuisis inter militiam, amplis muneribus.

Nec verò OLGERDUS repertus est obstinatus in Gentilitatis ritibus; quandoquidem Viuente GEDIMINO, suasu Iulianæ Vxoris, ad Sacrum Baptismum Græco ritu, sed Vnito celebratum, Diui Theodori Nomen assumpserat; non tamen ardens in Fide Christiana extitit, eò quod iuuentam suam, Gentilitati arctiùs consecrauerat; iuxta illud. Quo semel imbuta recens, seruabit odorem Testa diu. Ceterùm OLGERDUS in administratione Iustitiæ satis zelozus erat; quem zelum commonstrauerat ardentem, ad querelas sibi depositas, per *Petrum Gastoldum* [qui Podoliæ Administrator, ex placito Olgerdi fuerat] recenter baptizatum, idque ob Connubium initum, cum Filia Buczacij. Eruperat enim tum temporis Vilnæ vehemens tumultus, contra Religiosos Ordinis S. Francisci; quos Petrus Gastoldus primitùs Vilnam ad Fidem Christianã, inter Lithuanos implantandam, introduxerat, gratiâ rituum Sacrorum

augen-

augendorum; rudimentorumque Fidei Christianæ firmandorum. Quem pium conatum Iuuentus insolens, Paganismo enutrita, floccipendens; seditionem grauem contra Patres excitauit, Genijs infernalibus conatum promouentibus. Quos ad forum publicum violenter pertractos, impio ferro trucidârunt, septem de illis decollantes; alios septem extra mœnia Vrbis deductos, inter Montes Caluos nuncupatos crucifigentes, atque clauis ferreis grandibus, manus & pedes transforantes. Eam Tyrannidem perpetratam in personis Deo Dicatis, Apostolicum munus administrantibus, ægerrimo animo ferens Petrus Gastoldus; honorifica sepulturâ Martyrum illorum præmissâ, ante Ecclesiam Sanctæ Crucis; Ducem Lithuaniæ Olgerdum, requisiuit, vt scelus nefandum impunitum non haberet; adijciens zeloso sermone; *Regna & Dominia ampla, propter scelera impunita, frequenter à Deo tolli ac eradicari.*

Itaque Olgerdus, exaudito facinoris atrocissimi progressu; *Anno Dñi. 1332.* mandauit decollari quingentos incolas Vilnenses, vti impios Ordinis Sacri, & Fidei Christianæ violatores; seueroque edicto publico, statim voluit esse cautum; vt in Dominio Ducatus Lithuanici, vniuersi Cultores ac promotores Romanæ Fidei, tam Sacri quàm profani, secure morarentur, ac eorum Christianitatis initia pia, nullo colore, aut astu, doloue impedirentur. Eiusmodi Iustitia obtentâ Petrus *Gastoldus*, iterum Ordinem Sancti Francisci locauit & firmauit, sub Titulo Beatissimæ MARIÆ Virginis, ad Paludem Vinkoram? sicque Ordo ille à Paganorum furore liberatus, multa millia Gentilium animarum, Christianæ Fidei Fastis inscripsit, ac incorporauit.

Tandem *An. Dñi. 1381.* OLGERDVS, à Consortio viuorum est exemptus; insignis Crucigerorum domitor; Victoriosus Marchiæ Prussicæ & Brandeburgicæ lustrator & sequestrator; Moschicorum Limitum æquissimus perticarum militarium vsu deductorum, & designatorum, Geometra Russorum rebellium acerrimus correptor; aliarumque Gentium superbarum, maximè Scythicarum fortissimus debellator: Ob quæ Gloriosa Facta, meritò cum Annibale Carthageo; cum Scipione, & Dentato Romanis; cum Syrophaneso Ægyptio; cum Pyrrho Epirotarum, Iuba Mauritaniæ; denique cum Troianis, Græcis, Thebanis Ducibus ac Regibus, est comparandus.

Anno autem *Dñi 1386.* post Fata OLGERDI, accesserat *CORIBVTVS* filius primogenitus, ad Sacram Religionem Christianam; & circa fontem Baptismalem, nomen Diui *DEMETRII*, ad tutelam assumpsit; prout in Palmite Coributeo, nuper emanato est d eductum. Is idem *Demetrius Coributus*, circa Vnionem memorandam, Lithuanicæ Gentis cum Polonâ; Diploma Vnionis & Coniunctionis Vniuersale, vti *Iagelonis* Frater intimus, talibus subscripserat verbis, auctoritatem peracti

cti

cti Negotij, Diuinitùs promoti, firmantibus: *Ego Demetrius Coributus* Seueriæ & Nouogrodi Dux; adfui, & consensi super omnibus punctis & Clausulis, Vnionis peractæ. *Anno Domini, 1386. Die 4. Aprilis.*

Cum autem IAGELLO Rex Poloniæ, Sororem Germanam Olecham seu *Alexandram* tradiderat in Connubium SEMOVITO Duci Mazouiæ, Terra Radomensi ad iura Dotis destinata! summa lætitiâ perfusus *Coributus Demetrius*, ad firmitatem Vinculi Connubialis, preciosa donaria dederat; Sorori Germanæ, declarans amorem Fraternum.

Quia verò *Demetrius Coributus* Apex & Cardo, Felicitatis Polonæ modernæ, meritissimo iure censendus est? ob *SERENISSIMI REGIS* Poloniæ ac M. Ducis Lithuaniæ *MICHAELIS*, Faustam in Solio Regali collocationem? ideo cursus Scripti Chronologici reuocandus est, ad medullam Palmitis Coributei, quæ cum Sensu Chronologico, conuenire in omnibus punctis debet; ne frondes, botris & bumastis colligatis insistentes, Lectori multiplicent confusionem.

Demetrius enim Coributus Seueriæ, Nouogrodi, Czerniechouiæ, Dux Tetrarcha Lithuaniæ ac Russiæ; medius inter fratres *Iagellonem & Vitoudum*, aliosque Nepotes GEDIMINEOS: Heros incomparabilis, Bellis ferendis, quâ Defensiuis, quâ Offensiuis aptissimus erat; qui licet spectator Paternarum Victoriarum non adesset, de Liuonibus, Prussis ac Teutonibus peractarum; (quos vindex dextera OLGERDI, ob GEDIMINVM Parentem, Demetrij Coributi Auum, è viuis globo pyrico sublatum, iusto furore attriuerat) neque inter Cohortes paternas præsens adfuisset [propter Matris *Mareæ* Ducissæ Tuerensis inhibitionem] dum Pater, Fratres Regulos tres Tartarorum, Kutlubachum, Kacbeium, & Dmoitrum, profligauit, ab oris Podolicis eosdem forti manu repellens? tamen *Demetrius Coributus* rem proprijs oculis subiectam est demiratus *A. D. 1379.* dum OLGERDVS, Demetrium Iuanouicium, Moschouiæ Ducem, inani potentiâ elatum, Valido Exercitu obsessum, ad ingressum areæ bellicæ compulit; in qua OLGERDVS Victor Gloriosus effectus, hastam ad ilia hostica contorsit; limitesque Lithuaniæ ac Russiæ, vltra Mozeram & Vhram fluuios designauit.

Paternæ igitur Fortitudinis admiratione, DEMETRIVS CORIBVTVS inflammatus, post Funus Paternum; præter Tetrarchatum Lithu. ac Russiæ, Dux Tuerensis est creatus; Ducatibus Seueriæ, Nouogrodiæ, Czerniechouiæ gaudens. Fraterna itaque arma, sociasque manus Vitoudo Duci Lithuaniæ *A. D. 1329.* coniungebat, fidamq; operam auxiliarem eidem testabatur, Iagelonis suasu excitatus, ad vindicandas Oras Witebsci, Orsæ, Zitomiriæ, Kiiouiæ, Smolensciæ, & Ducatus Rhesanensis. Quam Vindicationem, protegente Fortunâ vsque ad Oras Podolicas;

cas; Bratislauiam, Kameneciam, Smotriciam, Skalam, Czeruonogradum; aliaque Fortalitia, Rusſico dominio annexa, occupauit.

Ex ea firma Societate bellicâ *Vitoudo* nimium placuerat *Coributus*; quem ad angulos Scythicos perlustrandos, Comitem, fidum agnouit *Vitoudus*: de quorum agminibus multis, deuictis ac profligatis *A. D. 1396.* Scythicas tribus aliquot, etiam cum Vxoribus, liberis, captiuas; Regi IAGELONI, tum Polonis Proceribus exdiuisit, donatario iure ac belli ad scriptas: reliquas Dominio, ac terris Lithuanicis inserens & incorporans; quæ in hucusque versus Tykocinum, Grodnam, Vilnamque degentes, Regum Poloniæ ac Lithuaniæ, imperijs obsecundant, quanquam in ritu Mahometico persistentes: quorum plurimi ab eo recesserunt, ob cognationem cum Christianis adeptam: quem recessum Paganisticum, Sacro Fonte Baptismali firmauerunt.

Postquam autem *Tamerlanes*, Imperante ROBERTO Cæsare Occidentali; *Baiazete* Imperium Orientale gubernante, *A. D. 1399.* in Scythia Magna, Duodecies Centena Millia hominum armatorum, Iberiæ, Albaniæ, Armeniæ, Syriæ, Persiæ, Mesopotamiæ, Asiæ & *Ægypto*, per hosticam irruptionem admouit? mox Fortunæ ac Potentiæ beneficio, Turcicum Cæsarem *Baiazetem* captiuum habuit; (quem spectaculi & ludibrij ergò, perinde ac feram caueâ inclusum circumuectare consueuerat) *Vitoudus* animosus, vnà cum Coributeis Polonisque cohortibus Scythiam ingressus; Oppida Tartariæ campestria deuastauerat, Fluminaque profundissima Sulam, Psolam, & Vorsciam transgressus; *Tamerlanem* nutantem, ad petenda fœdera adegit; quæ cum segnius per Legatum, & Ducem Tartarorum *Edigam* nuncupatum tractarentur! reliquum tempus *Vitoudus* cum *Coributo* cruenta dimicatione terminandum decreuerant; in qua multi de Polonis ac Lithuanis occubuerunt; ast innumeri de Gente Scythica, adacto ferro furenti, ad Victimam Cerbero infernali, sunt iugulati. Hanc cladem Supremam animaduertens *Tamerlanes*, cadauera iugulatorum flammis repurgauit: Scytharumque Primoribus collectis, iuramentum publicum edicto vniuersali roborauit; vt Tartari, Russiam, Lithuaniam, Poloniam, armis offensiuis & inuasorijs indesinenter lacessant, donec Scythicæ Gentis nomen vulgabitur.

Attamen Magnanimus *Vitoudus*, reparato Exercitu *An. D. 1404.* cum debellatis Scythis: transgressus Hugram Fluuium rapidissimum, Crucigeris grassantibus opposuit; pacemque cum eis vltra mentem, stabiliuit: fretus autem auxilijs firmis Polonorum, assentiente *Iagelone*, Liuoniam ac Moscouiam vastans, vsq; ad Occam fluuium prætergressus, Magnum Ducem Moschouiæ *Basilium*, è Sedibus proprijs exturbauit; qui à Victore *Vitoudo*, pacem exposcere est adactus. Ceterùm in Moschouia morante *Vitoudo*, *Coributus* ad Sacrum Fontem Baptismi Christiani accessit, Diui Deme-

Demetrij Nomine assumpto: mox in Prussiam cum Lithuanis ac Polonis descendens, multa Oppida pagosque deuastauit, prædâ ingenti congregata: quam reciproco impetu Crucigeri, elapsis Mensibus septem compensauerant, & Lithuaniam hostiliter visitauerant.

Iam verò *Demetrius Coributus* Filius OLGERDI; Nepos *Gedimini*; Frater *Vitoudi* ac *Iagellonis*; Ætatis annum 36. agens, ALEXANDRI Ducis Rhesanensis, Tetrarchæ Moschouitici, Filiam *Nasteam* seu Anastasiam, in Matrimonium assumpsit *A. D. 1410.* Ob quam Coniunctionem, Ducatus Rhesanensis in Iura Dotis cesserat, etiam Ducatu Seueriæ per diuisionem ad Coributum deuoluto.

Anno abhinc elapso, *Alexandra* Virgo, Ducissa Lithuaniæ, Soror Germana Iagelonis ac Coributi Fratrum, *Semouito IV.* Duci Mazouiæ, in Consortium Vitæ tradita erat: quæ genuerat *Boleslaum* Ducem Mazouiæ, & Cimbaream seu *Ceciliam*; ad Connubium ERNESTO Archiduci Austriæ datam. De quo Connubio prodierat *Fredericus* Imperator Romanus; Pater *Maximiliani I.* æquè Imperatoris Romani. De eo Inclyto Germine, prodierat *Philippus* Archidux Austriæ; tum CAROLVS V. Reges Hispaniarum; & *Ferdinandus I.* Imperator Romanus; cuius Successores ac Posteri, Lineam Iagelonicam & Coributeam, ob Sanguinem Fraternum, Sororium, debita propensione sunt prosecuti. [Quam propensionem *FERDINANDVS III. FERDINANDI II.* Filius, *Anno D. 1636. MICHAELI IEREMIAE* Duci in Wisnowec Tetrarchæ Russiæ; atque *LEOPOLDVS I. FERDINANDI III.* Filius, SERENISSIMO moderno MICHAELI REGI POLONIÆ *An. D. 1658.* abundantissimo affectu, sunt contestati.] Masculea enim Linea, à Regibus Poloniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Sueciæ, Magnis Ducibus Lithuaniæ ac Russiæ protenditur. Fæminea deinceps, à Ducibus Mazouiæ, Archiducibus Austriæ; tum Regibus Hispaniarum, ac Romanis Imperatoribus; ad tempora moderni sæculi, descendit.

Porrò Regno Bohemiæ *An. D. 1419.* vacante, post Fata *Venceslai* cognomento Ignaui, Regis Bohemiæ; Proceres ac Legati Bohemiæ, *Iagelonem* Regem Poloniæ visitantes; ad Vacans Regnum, per interpositionem *Iagelonis*, arctis precibus destinandum requirebant *Vitoudum*, Magnis præijs Clarissimum; penitus omisso *Sigismundo* Fratre Venceslai. Cum autem triennali Interregno, Bohemia arderet; *Vitoudus* ob varios respectus, posthabito oblato sibi Regio Honore, [cupiebat enim seorsiuum Regnum in Lithuania statuere, adhuc Superstite Iagelone] *Sigismundum Coributi Demetrij* Filium, Iagelonis Nepotem ex Fratre, *A. D. 1422.* ad eum Honorem designauit euehendum; vti bellicosum ac strenuum Principem. Quare consentiente & approbante Pactum & Factum Iagelone, *Sigismundus* Coributeus, cum valido Exercitu in Bohemiam, [propter

pter

pter Concurrentiam *Sigiſmundi* Hungariæ Regis] profectus eſt, ſuccin-
ctus Polonicis ac Lithuanicis cohortibus. Ait per Morauicos tractus iter
petens, poſtquam ab Oppidanis Lincouianis, paſſus liber eidem eſſet, pro-
pter munitionem firmam Oppidi, denegatus; illico fortem militem ad-
mouit, expugnatumq; Oppidum prædæ Militari expoſuit, propter dura
officia hoſpitalitatis, expreſſa.

Tandem pacatiore itinere, metu iniecto alijs; limina Bohemiæ in-
greſſus, Pragam attingens, Claues vltrò traditas acceptauit, atque con-
ſentientibus Suffragijs Procerum Bohemorum, in Regem legitimè eſt
Electus; circa Coronationem, Legato *Sigiſmundi* Regis Hungariæ, diſſen-
tiente & Contradicente.

Summam itaque authoritatem *Sigiſmundus Coributeus* habens apud
Bohemos, confeſtim arma oppoſuit Vexatoribus Regni Bohemici; quæ
cum latius, vltra metas limitum explicuiſſet *Anno Dñi. 1423.* querelas de-
poſuit *Sigiſmundus* Hungariæ Rex, breui factus Imperator Romanus, ad
Iagelonem Regem, Patruum Coributei Sigiſmundi; vt eum admoneret Iu-
rium Vicinitatis ſeruandorum, iuberetque Regno Bohemiæ excedere.
Sed Coributeus Sigiſmundus inanes querelas reputans, animatus à Pro-
ceribus Bohemiæ, magniſque donarijs auctus, ſecurus Bohemiæ Regnũ,
cum armatis legionibus excubantibus, adminiſtrauit: præter *Zyſca* fa-
ctionem; qui Hæreſim nouatam Huſsitanam, ab Anſere ſtrepente profe-
ctam, acri promouebat zelo; ob quem etiam Iura Maieſtatis, cupiebat
eſſe diminuta.

Statu itaque Bohemico per Ciuile bellum labefactato, metuens *Iage-
lo*; ne Nouus Rex, Nouæ ſectæ Virus, retinendæ Pacis inter Diſsidentes
gratiâ, armatis cohortibus adaugeret; iterum amicabili ſcripto expo-
ſtulauit Coributei Sigiſmundi reditum; quem Rex Bohemiæ differendum
decreuit, ob varias vexationes Regis Hungariæ Sigiſmundi; ad Regnum
Bohemiæ ſucceſsionem poſt Fata Fratris, prætendentis.

Ceterum poſt fata *Vitoudi*, ad M. D. Lithu. Proceres *Demetrium* Co-
ributum inuitabant, protunc Ducem Seueriæ & Nouogrodi: ſed ob Fili-
um Sigiſmundum, in Bohemia pro Rege Electum, Marte florentem, deli-
beratione diuturna vſus, non cupiens Succeſsiones fraternas, ambitu Du-
catus commiſcere.

Magno interea odio *Sigiſmundus* Hungariæ Rex, ſucceſsionem legiti-
mam, ad Regnum Bohemiæ prætendens, *Sigiſmundum Coributeum*, De-
metrij Coributi Filium, proſecutus: contra quem *An. Dñi. 1430.* Exer-
citus ingentes validiſsimos Germanicos, Saxonicos, Anglicos, Hungari-
cos, eduxerat. At Sigiſmundus Coributeus, Rex Bohemiæ Electus, nota-
bilibus cladibus atterebat Legiones Sigiſmundanas, Almanicam fortitu-
dinem deprimens. Quare Marte propitio, Exercitibus numeroſis dele-
tis, totam Sileſicam Regionem deuaſtauerat; & Glogouiam, Cigenhal-
ſum, Veidunum, Falkenbergum, Paczkouum, Kamencum, Henricoui-
am, Opolum, Bregam, Frankenſteinum, Hainakouiam occupauerat,
proprijſque Signis ac Iuribus adiecerat. Cum verò Vratiſlauia pertinaci
defenſione, Sigiſmundo Coributeo reſtiterat; illico mandauit flammis
purgari Vratiſlauica ſuburbia ac Vicos, Procopio Bohemo, ſtimulante &
ſuadente Vrbis incinerationem. Ad extremum furente Marte ac ar-
dente, Ducatum Luſatiæ deuaſtauerat.

Inſequente autem *An. D. 1431.* Sigiſmundanæ Germanicæ atque
Hungaricæ Gentes, reparatis viribus, poſt clades multas recollectæ; euo-
cauerant Sigismundum Coributeum, ad aream belli atrocioris, exitu verò
ſat miſerabili. Etenim Marchio Brandeburgicus frontem belli tenens,
conſpectis Coributanis ac Bohemicis Legionibus, magis elegit fuga ſibi
conſulendum, quàm ad certamina cruenta deſcendendum. Ob quod
conſilium licet tacitum, Caſtra Germanica & Pruſsica, relicta cum omni-
bus impedimentis & Spolijs peramplis: quæ Securo greſſu, Victor poſſe-
dit, Coributeus Sigiſmundus Bohemiæ Rex: & direptioni Militari ſubiecit.
Teſtis erat ſcenæ iſtius oculatus Eobanus Bohemus; ex quo hauſerunt
materiam Scribendi Dlugoſius, Miechouita, & Cromerus.

Iam verò Senio ac Bellis magnis, confecto *Iagelone* Rege Poloniæ, &
Anno Ætatis Octuageſimo Octauo decedente; relictis Filijs *Vladiſlao* &
Caſimiro: etiam Sigiſmundus Coributeus Rex Bohemiæ, [reuocante Si-
giſmundo iam Imperatore Romano, ad Statum pacatum Bohemicas Se-
ditiones] deceſsit: quanquam fraternis odijs impellentibus.

Theodorus itaque, Nepos ex Fratre, Sigiſmundi Coributei ſteriliter de-
cedentis; ob maternam lineam *An. D. 1434.* deſignatus Heres Ducatus,
Seueriæ & Rheſanenſis; qui matureſcentibus fraternis ſimultatibus, Du-
catum Tuerenſem, Witebſcenſem, tum Kiiouiæ, Smolenſciæ Tetrarcha-
tus, alijs fratribus, magnas pugnas fomentantibus, dereliquit in poſſeſsio-
nem.

Sed regrediendum ad penitiora antecedentia Facta! Poſtquam enim
res miſceri cæperant, tum ob Mortem *Vitoudi*, annum Octoageſimum
excedentis; ſuauiter ad Regnum Hungariæ, per *Sigiſmundum* Imperato-
rem, acceptandum inuitati: Tum ob Mortem Iagellonis Regis: Tum
ob Mortem Coributei Regis Bohemiæ Sigiſmundi! Fatis ac Funeribus
ſemper funeſta odia progenerantibus; orta erat Contentio ardens, ambi-
tu inter Fratres Patrueles, de Magno Ducatu Lithuaniæ, ac Ruſsiæ vtri-
uſque adminiſtrando; idque ob *Vladiſlaum* Filium Iagelonis, ad Hunga-
riæ Regnum Vocatum. *An. Dñi 1440.* Et licet *Caſimiri*, Filij Iagelonis
reſpectus iure meritiſsimo habendus erat, in Ducatibus poſsidendis! ta-
men Coributeæ Stirpis Fratres, Duces Ruſsiæ ac Tetrarchæ, etiam ad

Ducatum Lithuaniæ ius prætendentes; armis fraternis altercari, ac concertare non desistebant.

Quam altercationem in multa capita Fratrum Patruelium descendentem; *Theodorus* Coributeus, Demetrij, Filius, iure Diuisionis suadente Regionem Podolicam, Moldauiæ ac Valachiæ conterminam obtinuit: Campos vastissimos ab Oriente, ad Tanaim fluuium, paludesque Meotidis, & Pontum Euxinum, vsque ad Tartaros Perecopenses: complectentem. Hanc Regionem antiquitus Alani, Gotti, Getæ, Cumani, Roxolani, Circassij incolebant; quarum Gentium quisquilias, ad Boristhenem fluuium, reperire licet.

Theodorus itaque Coributeus Demetriades; accepta in Connubium *Libissa* Ducissa Vlodimiriensi; Paternam lineam à *Vlodimiro* totius Russiæ protunc Monarcha, ducente: Maternam verò à Magno Duce Moschouiæ DANIELE seu Daszkone, trahenre; Regioni Podolicæ, Insigne Gloriosum applicauerat: *Solem Lucentem, duodecim Stellis circumdatum*! tum ob Arces ac Fortalitia erecta Duodecem, de quibus Cohortes fortissimorum Virorum contra Valachos, Moldauos, Scythasque, atque Hungaros, crebrò Iura Vicinitatis violantes, educebantur; tum ob Fidei Christianæ splendorem; quâ Genus Coributeum Splendens, in Duodecem Ducalis Sanguinis Gradus transijt; Celsissimosque Duces, in Lithuania ac Russia, per Propaginem illustrem Filiorum Duodecem Orbi Europæo spectandam! quam in Gradibus Ecclesiæ ac Reipub. Summis Locis, Deus Opt. Max. collocauit. Hinc Cruces, Lunas, Sydera, in Ducum CORIBVTEORVM, aliorumque Stemmatibus, non arroganti vsu asserta aut inserta, licet demirari; qui Ornatus & Splendor, in Equites Ducales deriuatus, non debet cuiquam maleuolo, argumenta loquacis detractionis subministrare.

Eidem *Theodoro* Successiuè delatus erat, Ducatus Volhyniæ: vti olim ad M. D. Lithuaniæ spectans. Is Ducatus, Boarius seu Boiareus antiquitus, [vti apud Moschos Boiarones vocitantur] nuncupabatur: eò quod sit ad multos greges boum alendorum spatiosissimus; frugum omnigenarum abundantia, syluis ferigenis, stagnis piscosis refertus; à fluuio Volga, qui Moschos, à Tartaris disterminat, limites suos protendens latissimos; quos temporũ ac Scytharum iniquitas, obliterari curauit. Vel ex eò nuncupationem acquisiuit Gentilem, is Ducatus Boiariam; quod Heroes & possessores illius Regionis, intrepido pectore ad Bella procedere erant soliti, equosque ac pharetras ad bella tractanda, in domicilijs suis parato in ordine tenebant: ob quod metuebant sibi, aduersæ conterminæque Gentes, ne Armis paratis miscerentur ac superarentur.

Is itaque *Theodorus*, etiam ipsis Polonis, eorumque Dynastis, metuendus erat: propter agmina triplicia armatorum, hostibus celeriter obiecta, de Viris Lucensibus, Vlodimiriensibus, Cremenecensibus coagmentatâ; qui sub Vexillis, eiusdem Stemmatis productis, Armati Equitis, Insigne paternum in Ancili deportantis, cum Luna, Astro, quaternisque Hierosolimitanis Crucibus, CORIBVTEVM Splendorem retinebant: quo, si pro tunc Turcica Gens immanis, in Terræ Hemisphærium prodijsset? dubio procul Lunas suas, Byzantinis regionibus non expandisset? admouisset, aut inseruisset. Porrò ornandæ ac muniendæ a Scythis, Gentisque Regionis Wolynicæ gratiâ, *Theodorus* erexerat; Zbarazense, & Vinnicense Fortalitia.

Fatis cedens *Theodorus*, vti Heros Bellis fatigatus, reliquit Filium primogenitum *Danielem* ex Dorca seu Dorothea Ducissa Vlodimiriæ: qui *Daniel An. D. 1457.* CASIMIRO III. Poloniæ Regi, ad Crucigeros compescendos descendenti, cum Exercitu Polonico ac Lithuanico; adhæserat cum Russicis Legionibus: quem Rex, ne paries Russicus, Scythicâ inuasione premeretur, ad eius Prouincias tuendas, ablegauerat; vnà cum Bucacio, ac Lascio. Sed cum Præfecti, infelici ordine pugnam expediuerant! è vestigio *Daniel*, paratas Cohortes Paternas retinens, de Gente Russorum ac Valachorum conscriptas; prorupit tanquam Leo ferox contra Scythas; Polonorumq; Martem, ad Occasum inclinatum; animoso pectoris sui obiectu reparauit, & iam fortunam vacillantem, resuscitauit; Scythasque in pugna defatigatos, à populatione deterruit; irrigatis Campis & agris Kaniouensibus, amplo cruore Barbarorum.

Functo Vitâ *Daniele*, Duce Wolyniæ ac Podoliæ; Filius eius natu maior *Basilius* (ex *Anna* ROMANI Constantinopolitani Imperatoris Filia progenitus; Sorore *Basilij* & *Constantini*, Imperatorum Fratrum; *Constantini VIII.* Imperatoris Orientis Nepte; Basilij Imperatoris Pronepte) Seueriæ, Rhesaniæ, Wisnou. Dux; Successit in Tetrarchatum Russiæ, Ducatu Vlodimiriensi gaudens. Is memoriam Paterni Martis retinuit: quo excitatus, erumpentes Scythas *A. D. 1463.* in Russiam, de Casensibus angulis: atq; in agmina distincta diuisos, vt Lithuaniam, Podoliam, Wolyniam deuastarent! Tartarorum Zauolgensium agmina, vltra Wolgam fluuium habitantium; igne & ferro, inter tractus vsque Trembouolenses grassantia; proprijs signis prolatis, memorabili clade deleuit feliciter: Captiuorum Christianorum, Millia Quadraginta eliberans; qui vniuersi cælitus sibi datam protectionem ac eliberationem, per manus *Ducis Basilij*, lachrymabundi inclamabant, lætitiâ lachrymas mouente.

Idem *Basilius* Dux & Tetrarcha Russiæ; *Aidorum* Ducem Scythicum, cum Septem Millibus Tartarorum, audacissimè & celeriter, Hyeme rigente, in Podoliam aliosque tractus Russiæ *A. D. 1475.* prorumpentem; atque Kameneciam, Haliciam, Zbarasiam, paucis resistentibus depopulantem; Cohortibus domesticis atque Lithuanicis succinctus, obuiam hostem.

stem attingens, prælio forti commisso, compescuit: multosque Captiuos Christianos, à tyrannide ac opprobrio inaudito saluauit. Ab eo Tetrarcha ac Duce, in Wisnowec: Zbaraz? Korec? Zaslaw? Klewan? Ostrog? Czartory; alijque plurimi Duces; auspicatissimas Splendoris ac Generis Ducalis, trahunt Parelias; Regibus ac Imperatoribus Affines.

Iam autem *Demetrius*, Dux Seueriæ & Tetrarcha Russiæ: Filius Basilij ex Matre Theodora, Filia *Demetrij* Ducis Seueriæ; & Nouogrodi ortus: à Vitoudinis Successoribus, ob Ducatum Seueriæ ex Maternis lumbis possessum; iniquissimis armis, licet cognatis vexatus; IOANNI ALBERTO Principi Poloniæ, CASIMIRI Filio, arma socialia obtulerat *A. D. 1489.* contra Tartaros debacchantes, circa Oras ad Sauranum fluuium, atque Bugum sitas: ad quorum fluminum margines, Scythica agmina equos pabulantia, improuiso Marte, *Demetrius Basilides* profligauit; multaq; millia Scytharum; Cerbero ac Plutoni, ad Catastas infernales transmisit.

Postquam verò Rusticana Russica rebellio, Authore *Kosaco Mucha* crescere cæpit; DEMETRIVS idem Basilides, furorem domesticis artibus excitatum sedans, Rebelles vniuersos deleuit; *Muchamq;* captiuum Regi *Casimiro*, vinculis ponderosis vinctum tradidit; ad pænas debitas, vti Duci Seditionis tremendæ, Iustitiâ ipsa instigante, irrogandas.

Inter alios Filios *Demetrij Basiliadis*, erat *Sigismundus* Dux Wisnouecius: ex Fratre Clarus Nepos: qui vnà cum Ducibus Patruelibus, potentiam Tartarorum, ad Podhaiciam ac Meziboshum fregit. *A. D. 1500.* Moschos autem, prælio Wedrusiensi confecit. *Bethihareum*, Medlingeri Chani Filium, Tartaricorum agminum Ducem; ad vortices degustandos Tyræ amnis, compulit.

Porrò *Sigismundi* Filius *Demetrius III.* Nepos *Danielis* Ducis Wisnouecij, erat perpetuus Hostis, Osoribus Christianitatis; à Maiorum suorũ Claritate nunquam deflectens: multis in locis Moschos, Scythas, Valachos, Turcas etiam, crebris prælijs felicissimo euentu superans! qui cum Cretica fide Valachica deceptus, ad Turcica vincula deductus esset: eò quod Scythas ac Turcas, notabilibus cladibus afficeret? cum ad immane supplicium, Imperator *Selimus* Tyrannus destinauit, vt lentæ mortis atrocitate, in vnco ferreo Vitam inuitus terminaret: idque in ludibrium Christianæ Fidei; quam Mahometani, peiorem canibus ac anguibus, detestabili ore comblaterant.

Quo in supplicjo Heros incomparabilis, manens viuus biduo! Diui ANDREÆ Apostoli exemplo, Christianitatis nomen extollens, Mahometismum deprimens, circa agonem mortis, lentissimum angorem vitæ efficientis; petijt sibi gratiam quanquam Tyrannicam concedi; vt militari morte, & quidem Christiana, liceret sibi perire: non autem funesto supplicio, criminosorum hominum. Concessa gratia Tyrannica; pendentique Heroi in vnco, porrecta est pharetra, cum manipulo sagittarum; pro quo beneficio, signis gratitudinis expressis, viribus fortibus ad pharetram pendulus applicatis; in effusam Gentem Turcicam spectaculi ergò congregatam, Sagittas intorsit ac effudit, [vnà Sagitta ad Ceruicem reseruata] præcipuosque Turcas in scena illa exanimauit, vigoroso affectu emissis sagittis. Hæc res stupenda, postquam esset ad Tyrannum delata; illico *Selimus* fertur aduenisse equitans, stipatus satellitibus, recreationis crudelissimæ perficiendæ ergo; atque Tyrannum quæsiuisse, num Demetrius adhuc aliquid vigoris in exhausto corpore habuisset? Is Conspecto Tyranno, sagittam reseruatam ad ceruicem resumpsit; Pharetræ applicauit; in Tyranni personam direxit; sed iam viribus vacillantibus. Eo in periculo constitutus Tyrannus; illico sagittarijs demandauit Heroem inuicti pectoris, crudelibus telis conficiendum.

Obstupescant ætates ac sæcula, ipsique Asiatici, Africani, Indiani Diui Martyres? & in Fastis collocent iure meritissimo Demetriũ Ducem Wisnouecium, qui pro Fide Christianâ atrocissimum genus Mortis, tanquam D. SEBASTIANVS Martyr Romanus, contempsit in Foro Grandi Constantinopolitano. Discant Milites Poloni Lithuanique; quanto Amore, Zelo; Feruore, Fortitudine, Christianum Nomen protegendum est? armaque contra Turcas, Scythas, Moschos adaptent; Honestam Mortem pro Fide Christiana electuri: cuius stipendia cælica, à Deo Bellorum Terminatore, assignata felicissima.

Non in plebem oppressam, non in pupillos, exercendus furor; non in domesticos, Sacros, profanosq; Penates? sed in hostico Solo, Solium Regni ac Fidei, est erigendum? in figendis Columnis Ferreis ac Æneis Chrobreis, aut renouandis: Sub cuius Regnatu, Vniuersus Ordo Equestris ac Militares Viri, stricti ferri fulgorem, pro Fide offerebant: guttas Sanguinis pro Gloria Dei effundendi, floccipendentes. Non deerunt Exempla Victoriarum, modò non desit pius & Christianus modus belli parandi, inchoandi, tractandi, peragendi, ac terminandi. Deus enim Verè, sincerè, legitimè certantibus, insperatas multiplicabit Coronas.

Ceterùm sub Auspicijs *Sigismundi I.* Poloniæ Regis *A. D. 1512.* *Constantinus* Dux Wisnouecius, quem Exercitus, Coronam Militum communiter compellabat; æuo memorabilem Victoriam adeptus erat: quando Tartaros profligans, in Flumen Horinium, Arcem Wisnoueciam præterfluens, agminatim fugientes detrusit, cum aperta ruina Gentis latrocinãtis.

Dum autem Perecopensis Dux Tartarorum, Viginti quinque millia armatorum eduxerat, cladem præteritam vindicaturus; iamq; Campos Wisnouecenses hostiliter deuastare inchoauerat; imperterritus *Constantinus*, Fidas Cohortes Procerum Polonorum ac Lithuanroum aduocans, plane totam Gentem illam latrocinantem oppressit, magno cum stupore ipso-

ipsorum Barbarorum. Eos denuo resumptis viribus, intra annum medium excurrentes, ad tractus Podolicos deuastandos; iam Castra locata ad Syluam Nigram habentes: armis impendentibus Wisnouecianis, in conflictum publicum excitatos, ad Campos Buscenses & Zynkouenses, acri prælio cum Stanislao Lanckoronio, & alijs Præsidiarijs fidissimis Viris, cruenta internecione deleuit.

Et vix quadriennio elapso; idem *Constantinus* Tauricanos Tartaros *A. D. 1516.* profligauit, fortique dexterâ ad Arcem Skaleam & Campos compescuit, & ad Tyræ amnis ostia, ipsumque Bilohrodum, dissipauit. Cum autem euagantes, Duce *Soltano Aslamo A. D. 1520.* Submontanam Russiam, terrore affecerant summo; ad Pruchnikum ac Dubieckum vsq; procurrentes; eosdem *Constantinus* Dux Wisnou. coniunctis Viribus Procerum Russiæ, ad Campos Moscicenses palantes trucidauit: Captiuamq; Christianam Gentem, è faucibus eripuit.

Sed Campi Olszanicenses, eloquantur eiusdem *Constantini* Fortitudinem; qui *A. D. 1522.* Barbaras Gentes, Claritatem Nominis Christiani non ferentes, multis cladibus attenuabat. In his Campis, Quadraginta millia Christianorum captiuorum, Tartaris *Constantinus* eripuerat, eosdē insperatæ libertati & securitati restituens: Scytharum verò Viros Captiuos Septingentos robustos, Cracouiam deduxit, vnà cum Signis eorum ereptis; eosque *Sigismundo* Regi præsentauit, vinculatosque donauit.

Iam posthac *MICHAEL* Dux Wisnouecius Cirkasius Gubernator; Scythas inuadentes Russiam, ob absentiam Militiæ Polonæ (quæ sæpius Hostes, impio ausu grassari dissimulat, ac permittit: magis hybernas ac æstiuas commoditates priuatas æstimans) Regnante *Sigismundo Augusto*; Cohortibus coniunctis *Ioannis Herburti*, tum *Alexandri, & Procopij Sieniauiorum A. D. 1550.* agmina hostica represserat, notabilesque Captiuos multos, Socijs Victoriæ, exdiuiserat.

Porrò Dissidio circa Palatinatum Valachiæ moderandum, inter *Despotum & Tomesum* acri exorto! DEMETRIVS Dux Wisnouecius, à Gente Valachiæ & Primoribus, ad regimen Palatinatus inuitatus erat: ad quod firmius retinendum, Cohortes suas Kosacicas, cum *Ioannis Piasecij* cohortibus *A. D. 1563.* coniunxerat. Sed fallacibus promissis ac adulationibus Valachorum elusus, & Ottomanicæ animaduersioni traditus, fortissimam in oculis Gentilitatis oppetiit mortem. Ob quam *Michael* Dux Wisnouecius Cyrkasius Tetrarcha, Tomszam fallacem ac dolosum armis iustissimis deuictum pepulit, & Palatinatum Valachiæ, aliquot annis armis possessum, tenuit; sed nefario tacito ausu, per appreciatos à Valachis domesticos famulos, veneno diro est extinctus.

Dein *Constantinus* Wisnouecius, vnà cum *Ianussio* Zbarasio Duce, ad *Romani* Sanguskonis, protectionem aduocati *A. D. 1568.* contra potentiam iniuriosam Moschicam; percusso societatis fœdere cum *Ioanne Chodkeuicio & Georgio Tyskieuicio*, contra Moschos, armorum ducendorum ac vibrandorum, vna cum Scythis, furore belli vnitos; imperterrito cursu progressi, terribili clade agmina illa corripuerant; atque *Amuratem* Ducem Tartarorum trucidauerunt; *Petrum Serebrium* Ducem Moschorum, lethalibus vulneribus affecerunt; *Vasilium Palecium* Ducem captiuarunt; multaque millia hostium prostrata in agris & Campis, ad pabulum feris reliquerunt: vix personis de proprio exercitu Duodecem amissis.

Oborto autem post Fata *Sigismundi Augusti* Interregno *A. D. 1573.* proruperant Scythici Duces; *Bacca & Siecza* in Podoliam, cum Octo Millibus selectorum latronum; qui progressi ad Barenses Campos, cum Arcem Barensem præsidio firmatam reperissent, Vicos & suburbia proxima succenderunt; & Homines multos ad Paschalia Festa peragenda præparatos, in Captiuitatem diram abduxerunt. Sed Misericordia Motus GEORGIVS Wisnouecius Kamionensis Gubernator, Feria secunda Paschali, accitis Aulicis ac Domesticis, inter quos Ducentas bombardulas breues (quarum recens vsus erat) pyricis globis oneratas exdiuiserat; Scythas cum spolijs amplis, Captiuaque Gente Christianâ tuto gressu redeuntes, inopinata eruptione, ad radices Montis Ducalis seu *Kniazia Gora* peruenientes, vehementer perturbauit; & sclopetorum pyricis glandinibus, tanquam fulminibus, illa octo millia Scytharum profligauit ac deleuit; vniuersaque spolia cum Captiuis vinctis, possedit. In quo notabili conflictu vix tres Ducales Aulici saucij erant, Scythici autem latrones vniuersi trucidati, paucis in captiuitatem reseruatis: Quare Ætas illa Bellatrix, Duces Wisnouecios, Fulmina bellorum, solita erat compellare.

Abscedente autem à Regno Poloniæ *Henrico* Gallo, *An. D. 1580.* & *Stephano* ad vacans Regnum ascendente; Dux *Ianussius* Zbarasius Palatinus Braclau. Præfectus Exercituum; vna cum Wisnouecijs *Georgio & Alexandro* Ducibus. [Rege mouente arma contra Moschos, Russiam & Lithuaniam deuastantes] *Toropeciam, Neuelam* expugnauit; quem dum *Stephanus* Rex vidit Hostes acriter proterentem, ad Campos Velikolucenses & Sokolienses; inclamauit, laudans fortem animum IANVSII, *Regio Imperio Dignus Vir iste*!

Tandem integro Sexennio bellorum ciendorum, demiratus *Stephanus* Rex, Zbarauiorum & Wisnoueciorum Ducum miram Fortitudinem, Cohortiumque propriarum multitudinem; sæpius præclara Gesta in eis laudans ac comprobans, aiebat: *Contra Vrsos, lupos, Tygrides, ipsosq; Dracones; Respublica Polona, vtatur robore istorum leonculorum.* Proloquij istius interpretationem *Ioannes Zamoscius* exposcens à Rege? Duces Wisnouecios & Zbarasios, atque Ostrogios, intelligendos probauit ac determinauit.

 Post-

Postquam verò cessit Fatis, *Stephanus* Rex Victoriosus *A. D. 1589.* à quo *Ioannes Zamoscius* Cancellariatus Supremo Officio, tum Suprema Præfectura Exercituum; post voluntariam *Mielecij* resignationem, ornatus fuerat, ob rei militaris gloriosam peritiam? aperta erat via Zamoscio, æquè gloriosa, ad *Sigismundi III.* Coronationem, magno conatu efficiendam. Ea feliciter terminatâ, non tamen sine arduo experimento armorum, cum *Maximiliano* Archiduce Austriæ; dum inuadentibus Scythis Poloniam, non poterat opponi iustus Exercitus; ob distractas Legiones ad Bella varia? Ducibus Wisnouecijs, *Michaeli* Castellano Kiiouiæ, Russiæ Tetrarchæ; tum *Ianussio*, Stabuli Regni Præfecto Supremo, accedente Regis *Sigismundi* arbitrio, committendum negotium suasit; vt in ancipiti Regni Statu, prouincias Russiæ tutarentur: Tartareumque Ducem *Beglerbegum* à terrarum deuastatione arcerent? quam Spartam commissam, flagranti animo Duces Wisnouecij, Fratres Patrueles susceptam, *Michael* & *Ianussius*, Marte secundo terminauerunt. Etenim *Zamoscius* recentibus Externis cohortibus collectis, progressus vltra Leopolim ad Campos Glinianeos, idq; reficiendorum equorum causâ, Famâ sparsâ volante innumeri Exercitus aucti, furor Scythicus deferbuit, atque ad media saniora pacis tractandæ per Feciales *Beglerbegus*, ob attritas copias descendit; conditionem plausibilem, motricem hostilitatis obtendens: Ne Kosaci Mare Euxinum ingrediantur, & ne Turcicas Regiones adiacentes Russicis terminis, incursionibus crebris vexare audeant. Quare Conditionibus illis per *Duces Wisnouecios* & *Zamoiscium* assecuratis, mutuis iuramentis, pacem mutuam stabiliuerunt, quæ vix per annos quatuor durauit, ob perfidiam Scythicam.

Cum verò interueniente *Sigismundi III.* Regis Poloniæ assensu, IEREMIAS MOHILA, Palatinus Valachiæ ac Moldauiæ constitutus esset, *Stephano Radulo* eiecto: mox Tartari in subsidium Raduli vocati, cum Septuaginta millibus armatorum progressi sunt, ad Campos Cecorenses, Duce *Casigereo*, Palatinum *Mohilam*, inuestitum iam, expugnaturi. Quare *Ioannes Zamoscius*, Duce Wisnouecio *Michaele*, Castellano Kiiouiæ, & Cirkasiensé Gubernatore, ad Operis bellici Societatem aduocato; qui Corsuni Erector, vnà cum Fortalitio extitit? feliciter pugnæ congressum continuauit; firmato armis *Ieremia Mohila* in Palatinatu Moldauiæ ac Valachiæ. Ea pugnâ effectum erat, vt Tartari, ab incursionibus in Moldauiam, vti Poloniæ conterminam, abstinerent: Palatinumque Moldauiæ à *Sigismundo* Rege Poloniæ constitutum, Legitimum agnoscerent: vtque *Casigereus* Dux Tartarorum; nomine Turcici Imperatoris, insigne Palatinatus, quod aduexerat secum, *Ieremiæ* traderet.

Ast armato iure IEREMIÆ intronisato, inuidens Princeps Transyluaniæ; *Stephanum Rosuanum*, cum Exercitu Duodecem millium Hungarorum, ad vexandum Ieremiam submisit; quem Excubias agens *Ioannes Potocki* Præfectus Camenecensis, vnà cum *Alberto Chański* ad Zuanecenses Campos, strenuè retinuit & permiscuit. Sed cum *Rozuanus* aucto exercitu per Valachos, paucitatem Legionum Polonarum contemnens, ad interiora Valachiæ descendisset; *Michael* Dux Wisnouecius, subsidiarias etiam proprias Cohortes admouit, *Rosuani* copias dissipauit, & acerrimo prælio vtrinque commisso, gloriosè hostem repressit. Cumque *Rosuanus* pugnam infortunatam, iterato furore reparatam, instruere non destiterat; *Rosuanum* captiuum, vnà cum equo phalerato abduxit; quem, vti Inuasorem Regni, Iurisque Regalis temeratorem, in constituendis Palatinis Valachiæ ac Moldauiæ, Regibus Poloniæ seruientibus; Militare Iudicium, formatum in Campis, Palo infigendum decreuerat. Quod & factum est.

Ad audaciam porrò Kosacicam reprimendam, *A. D. 1596.* quâ Pyraticam Duce *Nalewaikone*, vltra Pontum Euxinum Kosaci exercebant; ob querelas continuas Turcicas; *Sigismundus III.* Zamoscio commiserat, vt Kosacos, à Turcarum vexatione reuocaret. Ast illi pertinacius iussa Regia interpretati, aduenienti primùm *Stanislao Zolkieuio* cum Regijs mandatis, contradixerant; Legionibusque Zolkieuianis, Cohortes suas opposuerant; & non leuia damna, in diuersis conflictibus, ad Campos Bialocerkuenses multiplicauerant. Ceterum Ducum Wisnoueciorum, Ianussij, Michaelis, Cohortibus aduenientibus effectum est, vt fluctuantes Kosaci, ad angustias redacti, Ducem *Nalewaikonem* cum quatuor Antesignanis, tradere adigerentur, ad pænas latrocinio irrogandas. Quare reliquâ multitudine Kosacica clementer dimissa, *Nalewaiko* cum Socijs Varsauiam deductus, iustas pænas pyraticæ, ad bella funesta prouocantis Gentem Polonam ac Turcicam; tum pertinacis inobedientiæ obtinuit, in Circo Antemurali Varsauico, vnà cũ Socijs promerita supplicia sumētib⁹.

Postquam verò *Michailo Anno D. 1600.* Transyluanis Copijs auctus, è Sedibus Valachiæ, *Simeonem* Palatinum pepulit; atque *Hieremiam* Palatinum Moldauiæ vexare attentauit; eumque ad Arcem Chotinensem euadentem, forti obsidione affligendum decreuit, etiam Prouincias Russicas ac Polonicas, vti proximiores infestaturus; processit contra eum, *Ioannes Zamoscius*, Supremus Dux Exercituum Regni, atque Cancellarius; Filio suo *Thoma* assumpto; quem *Constantini* Ducis Wisnouecij, Palatini Russiæ, legionibus associauerat; Fratrique eius Patrueli *Michaeli*, Castellano Kiiouiæ, dirigendum cum Zamosciacis cohortibus, tradiderat.

Sed cum *Mihailo* arrogatus Palatinus Valachiæ, Sexaginta Millia armatorum, ex Transyluanis, Valachis, Serbijs coàgmentata; ad amnem *Telesinum* dispofuerat? *Constantinus* Dux Wisnouecius, vnà cum Duce Zbarasio *Christophoro*, aduocatis præcipuis Primoribus, Russiæ Tetrarchis

 ad pu-

ad pugnæ Vnionem; nimirum *Gabriele* & *Andrea Tecżyniis*, *Hieronimo Sieniawski*; *Sebaſtiano Lubomirſcio*; *eiuſq. Filio Staniſlao*; *Iacobo Sobieſcio*; *Danilowiciis*, alijſque Martiæ Academiæ inſignibus Tyronibus; impetum primum *Mihailonis* fregit: mox *Carolo Chodkieuicio* aduolante, ad retinenda primordia Victoriæ, cum *Radziuilianis*, *Pacianis*, *Potocianis*, *Struſianis*, *Zolkieuianis*, *Kalinouianis*, *Oſtrorogianis*, cohortibus! agmina Valachica, Serbicaque valoroſa perturbarunt; inuaſoreſque Iuris *Sigiſmundani* in diſponendo Palatinatu Valachico, atq; Moldauico; grauiſsima internecione deleuerunt: atque Palatinatum Valachiæ, Moldauico adijciendum ac coniungendum, Armis non offenſiuis, ſed defenſiuis, extorſerunt.

Quapropter *Michailo* Palatinus elatus; videns tam velociter Fortunam inuerſam, Marteṁque in perditionem ſui inclinatum; pernici fuga conſulendum vitæ propriæ cenſuit: quem ſubſequens *Ioannes Potocki*, in Campo *Louiſce* coarctatum, compulit ad fluuium *Hardyß* tranandum: qui in aquas cæco impetu proſiliens, equi robore & pernicitate, nandique conſuetudine ſaluatus, vix cum aliquot lixis, euaſit ſecurus.

Tertiò autem à conflictu memorabili die, ad Caſtra Zamoſciana Valachiæ Primores, ſupplicatum venerant, ſubiectionem Regi, & Reipublicæ iuratam deferentes. Quare & *Simeoni Palatino*, per Zamoſcium Ducem reducto, Fidem & Obedientiam detulerunt; parique exemplo ac iure Moldaui, *Hieremiam Mohilam*, Palatinum Moldauiæ recognouerunt; & Obedientiæ ſigna, cum lachrymis exhibuerunt.

Translato mox bello, *A. D. 1602.* in Liuoniam, ob Suecos pertinaciter graſſantes; & à Hereditate Regni Suecici vera Legitima, *Sigiſmundum III.* Regem Poloniæ deterrentes; *Zamoiſcio Ioanni* vti pluribus in bellis probato Duci, totius belli commiſſa Adminiſtratio! qui adiunctis Viribus Fidiſsimorum Procerum, præcipuè Ducum Wiſnouec: & Zbaraſ: tum Chodkieuicij, & Zolkieuij; occupauit in Liuonia Fortalitia, vnà cum Ciuitatibus ac Oppidis, *Anzelmum*, *Ermezum*, *Helmetum*, *Felinum*, *Derpatum*, *Kaſaſteinum*, *Reualiam*, aliaque loca munitiora: atque Suetico robori fragoroſo, Equitatum Haſtatorum Polonorum, præcipue *Stephani Potocij*, *Staniſlai Lubomirſcij*, *Sigiſmundi Kazanouij*, [inter quos *Vladiſlaus* Princeps Poloniæ, iuueneſcens præſens aderat] mira arte aciei inſtructæ, oppoſuit; qua robur illud Suecicum, fermeque Giganteum ac ferreum, à Sariſſis ligneis deuictum, clade inſigni eſt terminatum; per Polonos ac Lithuanos, Ruſsicoſque Tetrarchas, Marte domeſtico ac externo, clariſsimos: ob quam Victoriam *Sigiſmundus III.* Filium *Vladiſlaum* verbis acerbis confuderat; quod contra Patruum, *Guſtauum Adolphum* ferociter procederet.

In ſimilem Caſum Fortunæ proiecti erant Sueci *A. D. 1610.* dum Moſchicis adhærentes contra *Demetrium* factionibus; apud *Torcicum*, moxque

apud

apud *Tuerum*, à duobus millibus Equitum Polonorum, valoroſa ſex millia Suecorum diſſipata ceſſerunt, Caſtraque ſua turpiter deſeruerunt. Iamque Moſchorum *Suiſcianorum* ac *Demetrianorum* terminata fuiſſent odia; per conſtantiam Polonorum ac Lithuanorum; niſi *Sigismundi III.* Mandata, *Chriſtophorus* Dux Zbarauius, *Ianuſsius* Dux Wiſnouecius, atque *Michael* Fratres patrueles, deferentes; Militiam Polonam, à proſequendis prælijs auocauiſſent. Tamen poſt Regia mandata inhibentia, *Adamus Zolkiewski*, agnatus Ducis Exercitus *Stanislai Zolkiewij*, vnà cum *Petro Borkowski*, atque Staniſlao Witowski, Caſtellano Brezinen. in ſignum Valedictionis Germanicæ, *Pontum Suecum* cum Subſidiarijs cohortibus, ad fugam compulerunt; quam fugam ipſemet arrogans Pontus, quanquam obeſus, ad tres iuſtas Leucas Germanicas, produxit.

Creſcentibus denuo Moldauicis tumultibus, *A. D. 1614.* (poſt illam Victoriam Moſchicis in Terris, per *Sigiſmuudum III.* obtentam;) quando tota Moſchia in Electionem Principis *Vladiſlai*, pro Magno Duce Moſchouiæ conſenſerat) *Stephanus Tomßa*, Turcico, Scythicoque fauore inductus; *Conſtantinum*, Filium *Hieremiæ* Palatini Moldauiæ, deijcere de Palatinatu apparauerat; ſed per *Stephanum Potocium*, & *Michaelem* Ducem Wiſnouecium, repreſsi hoſtes: non tamen ſine diſcrimine Victorum, arma Offenſiua & iniurioſa, depoſuerunt. Fugato itaque à Palatinatu *Tomßa*: *Michael* Dux Wiſnouecius, Gubernationem Moldauiæ ac Valachiæ firmiter retinebat; quæ Gubernatio ne eſſet diuturna? per appreciatos à Turca & Scythis Valachos, familiariores Duci; toxico adhibito ad triennium durabili, Heros fortiſsimus *Michael* ſublatus eſt, ob diram maleuolorum inuidiam.

Neque adhuc pacato Moldauico, Valachicoque Statu, *A. D. 1618.* *Dauletgerei* Tartarici Ducis Frater, triginta Tartarorum millia, [ante illud Chotinenſis belli primordium] adduxerat; atque in Confinijs Moldauiæ prope Camenecium Fortalitium, in *Campis Orinenſibus* conſtiterat: quem annoſus iam *Zolkieuius*; magniſque bellis fatigatus, ſegnius adoriri cupiens, ardentiores Ruſsicos Primores detinuit, pugnamque tardam cum moleſtia ſummâ deguſtandam, morâ interpoſita minus neceſſaria, præpediuit. Aderat tum Palatinus Kiiouiæ & Tetrarcha Ruſsiæ *Thomas Zamoſcius*, Stationem ſeparatam, cum proprio ſex millium comitatu, retinens. Aderant & aliæ Legiones, Zbarauianæ, Sieniauianæ, Kalinouianæ, atque *Michaelis* Ducis Wiſnouecij, per numeroſas cohortes Koſacorum, ſuperantes Quindecim millia armatorum, inſtructiſsimæ: ſed Equitatus ac Peditatus diſſociatus, ob ſtationes varias ac elongatas, Tartaros pernices in Volhyniam tranſuolare permiſit! contemnique arma Polona [quanquam numeroſa: ſed diſtracta ac diuiſa] à Scythis, culpabili modo edocuit. Attamen Deus Opt. Max. Polonos diſtractos & diſſocia-

tos,

tos, vnà cum Lithuanis, Kosacisque vniuerat, ad illud horrendum Bellum Chotinense feliciter tractatum ac terminatum, *An. D. 1619.* in quo *Osmanus* Turcarum Imperator, immensis ex Europa, Asia, Africa contractis copijs, Tauricanisque Tartaris aduocatis; Reipublicæ Christianæ Vastitatem atque excidium minitans, sub felici Regnatu *Sigismundi III.* Ductu *Vladislai* Principis, *Caroli Chodkieuicij*, *Stanislai Lubomirscij*; *Weierij*, *Sobiescij*, *Ostrorogij*, finitimorumque Ducum *Wisnoueciorum*, *Zbarasiorum*, *Ostrogiorum*, *Koreciorum*, *Czartoriorum*, *Radiuilorum*, aliorumque Regi ac Regno addictissimorum Primorum; [Domino Exercituum Supremo Suffragante] Sexto Idus Octobris, ad solam Famam *Sigismundi III.* cum Ordine Equestri, Nobilitatis Polonæ, aduentantis; ignominiosam metuens cladem; mediantibus Pactis, Æternam Pacem proferentibus, adactus recessit, armorum Polonorum, Lithuanorum, Russicorum ostentatione.

Redijt posthac Fortuna suauior ad Polonos; licet Turca clades ignominiosas, compensare irruptione Scythicâ, fractis iuribus Fœderis percussi, cupiens; hostilitatem Polonis, sæpius expresserat. Postquam enim *A. 1629.* [vix decennio silentium armorum conseruato] Duce *Galga* Scythici Chani Fratre, ac *Cantimiro* Murza, Sexaginta Millia hominum ad Russiam deuastandam Submissa erant; dimissisque turmis prædatum, incendijs & rapinis, tractus multos perlustrauerant! Scythica agmina redeuntia, cum miserabilibus gregibus Captiuorum; *Stephanus Chmielecius*, *Stanislaus Lubomirscius* pro nunc Russiæ Palatinus; tum *Ianussius* Stabuli Regni Præfectus, *Michael* Cremenensis Gubernator, Duces Wisnouecij ac Tetrarchæ Russiæ: obiectis legionibus suis, fortiter attriuerunt; populumque tractum in Captiuitatem, eliberauerunt: insignioribus Scythis, ad vincula destinatis.

Eam Fortunam Polonorum ac Lithuanorum, Tetrarcharumque Russiæ, degustauerat *A. D. 1633. Michailo Fedorowic* Magnus Dux Moschouiæ; qui nactus occasionem Interregni, post Fata *Sigismundi III.* Regis Victoriosissimi, non expectato Induciarum iuramentis Moschicis firmatarum termino; Smolenscum & confinia Lithuaniæ, inuadare mandauit Ducibus: *Sebinio Borisouicio*; & *Vasileuio Prozorouio*; ad quorum intentiones reprimendas, tempestiuè *Martinus Kazanowski* Palatinus Podoliæ; *Alexander Coruinus Gasiewski*, Palatinus Smolensci, proruperant; plurimisque Primoribus Lithuanicis, ad armorum societatem defensiuam inuitatis, primam glaciem armorum Moschicorum, fregerant.

Cum verò *Vladislaus IV.* Rex Poloniæ recenter Cracouiæ *A. D. 1633.* Die 6. Febr. Coronatus, Gladium & Labarum sacratum; à *Ioanne Wezyk*, Regni Poloniæ Primate, ac Principe, Archiepiscopo Gnesnensi; in assistentia Episcoporum, Senatorum, Legatorumque, Principum Externorum: obtinuerat; Gladium vibrandum, Labarum proferendum, contra Cerastem Moschicum sine morâ decreuit; statimque post Comitia Generalia Coronationis, in Lithuaniam descendit; & ad Hostes Smolenscum insidiosa obsidione cingentes, transuolauit; cum Fidis Cohortibus proprijs: quarum Ductores ac Rectores erant Radiuili, Pacij, Sapiehæ Tyskieuicij, Ossolinij, Warszycij, Lubomirscij, Witouij, Kalinouij, Gembicij Wierzbouij, Vieiscij, aliiq; plurimi Heroes imperterriti: Danilowicij Sobiescij, Potocij: Legionarijs ac præsidiarijs pugnas commiscentibus, Piaseccio, Firleio, Tarlone, Denophio, Wolphio, Woiewodzcio, Belzeccio, Zolkieuio, Korniaktone, Krasicio, Piaseczynio, Zaboklicio, Silnicio, Koricinio, Chelmscio, Kazimirscio, Lubowieccio; qui Martem Deo promouente, illam periurijs nefandis Gentem Moschicam temeratam, cum Russis ac Scythis Kazanen. Astrahansibus, Dunensibus coniunctam, terribili prælio oppresserant, Felicibus auspicijs *Vladislai IV.* metam Moschicæ superbiæ imponentibus. Aderat pro tunc Serenissimus *Ioannes Casimirus*, Princeps Poloniæ, spectator Fortitudinis Vladislauianæ. Aderat Celsissimus Dux Wisnouecius, *Michael Hieremias*; qui recenter à peregrinatione Orarum Europæarum adueniens, Triginta Millibus armatorum succinctus, Regia auxerat Castra; de quibus Viginti Millia, cum stupore, Regi *Vladislao* præsentauit disponenda; Decem autem Millia præmiserat, ad Moschicas ditiones igne ac Ferro depurgandas; quæ Ioannes Kolęda, tum Stephanus Mielecius, fausto progressu moderabantur. Et licet *Ioannes Ciesielski* ad seditiones mouendas natus homo, Vinculum tumultuarium in Exercitu Polono effecerat; Legionesq; duas, ad Castra relinquenda, palliatâ stipendiorum detentione induxerat; ob quod *Vladislaus Rex*, propria sicca corripere attentauerat hominem nefarium! nisi equum, periculum vitæ fugiens, ictui obiecisset! tamen Rex fugientem, & dein latitantem, Militari iudicio puniendum decreuit, atque ad Kwidzinum, decapitari mandauit. Fracta itaque Moschi potentiâ, Miles Polonus ac Lithuanus, campum diutius certandi cum Moscis non habens, aptam occasionem arripuerat, (Rege Vladislao permittente,) descendendi in Austriam: ad Potentissimum Ferdinandum II. contra Caluinianam, Gallicanamque superbiam, post casum Walsteini attenuandam; qui celeritate consueta freti, in oras Austriæ, Styriæ, Bauariæ, transuolantes: Ioanne Kolenda, Stanislao Sieradzki, Stanislao Wieruski, Paulo Noskowski, Ioanne Gromadzki, Legiones Parisium vsque ducentibus; Exercitum Gallicum; feroci Marte exarmauerant, sequacesque Caluinianos ac Lutheranos, compescuerant; Gentibus diuersis; Militiæ Polonæ robur, ferociam, peritiam bellandi, celerem penetrationem vastorum fluuiorum, altissimorum Montium demirantibus. Didicerant hinc Parisienses parietes, Militis Poloni ac Lithuani vltricia victriciaque arma, quorum robur, etiam ipsi hostes collaudabunt; circa Christiani Nominis zelosam

G

pro-

propugnationem. Sed de his, Auſtriaco Nomini adauctis copijs, per Polonos ac Lithuanos; alio in contextu Operis certabitur, Vita Comite!

Cum verò *Vladiſlaus Rex* Victor effectus, in recuperandis Oris Smolenſci, Seueriæ, Czerniechouiæ; inaudiuit *A. D. 1635.* Podoliam vexari per Abazium Baſſam, cum Tauricanis Scythis coniunctum; è veſtigio Duces Wiſnouecios, Koniecpolium, Zamoiſcium, Lubomirſcium, alioſque Rusſiæ Tetrarchas admonuit; vt ocius præirent, ad Turcas ac Tartaros amouendos, Greſſum Regium, anteuertentes. Quare Abazius Baſſa, denſis iaculis tormentorum vexatus; coactus eſt à Michaele Duce Wiſnouecio, antipaſtos bellicos feliciter porrigente; ſigna offenſiua obuertere verſus riuulum *Mußka:* ſicque pergens ac recedens, ex Moldauia ac Valachia, cum ignominia, ad pagum *Studzenica* in ripa Tyræ fluuij ſitum, Caſtris ſituatis; cogitauerat vires attritas reparare? aſt à plebe ruſticana Koſacica deformiter vexatus; commoditate Danubij, elegerat vela bellica contrahendi; *Stanislaumque Koniecpolium* Præfectum Exercitus, tum *Hieremiam Wiſnouecium* Ducem, ac *Ianuſium* perhorreſcens; Scythicum, Turcicumue Exercitum, à producendo ac pertentando bello, contra Polonos, relaxauit.

Dum autem inter *Kazanouium*, & *Michaelem Hieremiam* Ducem Wiſnouecium, ob Bona Rumnenſia contermina Moſchis, coorta eſſet Contentio! *Vladislaus* Rex protegere videbatur iura Kazanouij; ſed Dux Wiſnouecius non permiſit ſibi iniurias adaugeri; quinimò arma paratiſsima duodecem millium armatorum, Kazanouio oppoſuerat; niſi Rex beneuolus *A. D. 1637.* lites ac odia, diremiſſet. Iam verò Moſchouiæ Magnus Dux, à Rumnenſi poſſeſſore, plurimum metuebat ſibi: ne per vaſta Nemora ac Syluas, laceſſeretur à Wiſnouecio Duce; ob tria millia hominum ſubmiſſa, cum aſcijs ac ſecuribus, ad arbores deijciendas, planioris ergò areæ, ad Colonias firmandæ: quam arborum inciſionem, varijs modis Moſchi impedire volebant; ſed ad ſecuritatem inciſorum, procurandā, Viginti millia armatorum excubabant: Moſchoſquè proſilientes, cruenta ſtrage conficiebant. Ad *Vladiſlaum* itaque Regem, Querelæ à Moſcho depoſitæ: ad quas Rex reſponderat Moſchouiæ Duci; *Pinguius ius habere Duces Wiſnouecios ad Moſchouiam? quàm Moſchum, ad Rumnenſia bona.*

Creuerat dein, Rebellio Tartarorum, prædatorum Europæorum; tum pyratarum Euxineorum, Koſacorum: qui mutuis excurſionibus, pacem publicam ac ſecuritatem, Fæderis Polono-Turcici violantes; poſtquam in obſequio retineri non poterant? Primùm rebelles Koſaci, vrgentibus *Potocijs*, ac *Ducibus Wiſnouecijs*, profligati inter *Oppida Moßny* & *Kumeiki*, at inuitis quanquam animis, tracti ſunt ad Reipublicæ tenendum obſequium.

Tandem Triginta millia Tartarorum, in Campos *Ochmatouenſes* deſcendentia, in tranſitu fluuij *Sina Woda*, media hyeme rigente, Duce Michaele Ieremia Wiſnouecio, *A. D. 1638.* ſunt oppreſſa.

Taceo *A. 1634.* Wiſnouecium robur, Tartaris obiectum; dum ad Camenecenſe Fortalitium prorumpentes, Skaleamque Arcem infeſtantes Ductu *Turcici Baſſæ Murtazij*, turpiter & cum clade inſigni receſſerunt; ob Michaelis Ieremiæ occurſum velociſsimum, cum decem millibus armatorum; quos Scythico Turcicoque furori obijciens, Oras illas, Luce ſuâ ſerenauerat.

Non commemoro Tractatus illos Pruſsicos, verſus *Stumum* ad Campos *Kwidzinenſes*: ad quos Wiſnouecius Dux, cum octo millibus hominū ad pugnas bellicas aptiſsimorum *A. D. 1635.* aduolauerat.

Neque immorari volo, circa bella diuerſa; à *Michaele Ieremia* inuicto ſpiritu feliciter continuata, ad *Starzec*, ad *Holtwam*, ad *Zolninum*, ad *Sachnomoſtum*; quibus in locis *A. D. 1636.* Zaporouianos Koſacorum tumultus ſedauit, ſtrictoque ferro complanauit.

Poſtquam verò *A. 1648.* Duram ac diram Rebellionem, circa Fata non exoptanda Staniſlai Koniecpolij, *Vladiſlai IV.* Regis Feliciſsimi: nefario auſu *Theodatus*, qui Infernalibus Lamijs deſtinādus erat, *Chmielnicius?* contra Rempublicam Polonam, ſpe diuturni Interregni allectus, excitauit; atque adſcitis Scythis, in Conſortium grauiſsimæ Regni deprædationis, parricidales manus protulit: quibus robuſtos Exercitus Polonos diſſtpauit, Tartariſque opimam prædam, cum inſignibus ac numeroſis Captiuis, ad Corſunum in præmium Tyrannicæ Societatis obtulit: denique Florem Nobilitatis ad *Batouum*, impijs manibus temerauit: ſolus *Michael Ieremias Dux Wiſnouecius, Tetrarcha Rußiæ* magno conatu, [Primoribus alijs, ſtragem perpetratam diſsimulantibus] Koſacicas ſeditiones exortas conſopire adlaborauerat, in Campis *Pilauecenſibus, Conſtantinouenis*, admirando Zelo ac exemplo? quod Primores alij ac Tetrarchæ Ruſsiæ, imitari noluerunt; magis ruſticanas ceruices æſtimantes, quàm Inclytarum Familiarum, Strenuorum Militum, Nobilium, Religioſorum, Clerique conſpicui, Tyrannicam iugulationem.

Quare Zeloſus propugnator Vniuerſæ Patriæ, ad Campos ſupra tactos deſcendens; conſilio prudenti cohortatus Proceres inſignes, vt Zaporouiana Caſtra, ante Scythicam Vnionem, continuis aſſultibus impeterentur; iam iam, nutantibus Koſacis, ad deguſtata aleæ bellicæ præludia? ad quæ, Spiritus Cunctatorum, diſsidere cæperant? Ipſe ſolus, cum ſuis Legionibus, primum in Koſacicas turmas prorumpens; tandem in Scythica agmina proſiliens, vnà cum *Senatore meritiſſimo ac Zeloſiſſimo Staniſlao Vitouio Caſtellano* Sandomir. Excubias, non inanibus ſermonibus palliatas, ſed ferro & igne armatas, Scythico furori obiecit: vehementemque impetum Scythicum retinuit: *Oßinio* ſolo, cum peditatu ſtrenuè furorem barbarorum impediente; ad quem ſi ſuccurſoriales Legiones, quæ & numeroſæ, & firmis armis munitæ, tantum ignem belli ſunt de-

mi-

miratæ] promouissent stationes? non Poloni: sed Scythæ & Kosaci, immemorabili clade percusi, de area belli profugissent. Erratum pro tunc grauiter, peccatumque enormiter; dum alijs Optimis Ciuibus Patriæ, inter flammas hosticas prouolantibus? non sunt admotæ Subsidiariæ Legiones; ob quas subductas, quasi ex condicto? insperata desertorum Castrorum, Hosti relicta est Succesio.

Tandem post Funestū Interregnum; collocato iam in Regali Solio Serenissimo *Ioanne Casimiro, Sueciæ Rege A. D. 1649.* Die 17. Ianuarij, quæ non tentauit Zelosus & Victoriosus *Michael Ieremias Dux Wisnou. Palatinus & Tetrarcha Russiæ?* obstupescit ipse calamus? quando in viridi, compensare ignominiam *Batouensem* peroptabat; hiantes & vagabundos milites colligebat; animabat; illaque limina Cehorensia sanguine innocentum Heroum, tanquam lilijs venustissimis, impio furore purpurata, vindicare adlaborabat; vt illæ Myriades Quatuor, hominum scelesto ferro mactatorum, & in diram seruitutem abductorum, Christiano Marte; vindicarentur. Sed Iustus DEVS, Christiani populi Protector Verus, quanquam tardus vindex; iustas retinuit decursu Annorum Viginti pænas, ad maiorem & duriorem hostium confusionem; tum desuper pendens, insperatum Exterminium.

Promouebat me hercle, Dux Wisnouecius *Michael Ieremias*, Palatinus Russiæ, ardentissimo spiritu Regni Felicitatem; ardens etiam & Fortitudine, & Iustitia? Etenim ad *Zolninum*, ad *Constantinouum*, ad *Zbarasium*, ad *Rosolowce* insuper, perfractis viribus Kosacorum, captiuatis Primoribus Zaporouianis plurimis; tres Viros, incentores Rebellionis, *A. D. 1650.* decollari mandauit publico in loco; quorum manu carnificis capita, à ceruice auulsa, cadentia in terram; vnum, secundo capiti; secundum, tertio adhærens; stupendam scenam exercuerant; quando dentibus ad maxillas sibi impressis; morsum caninum fermè effigurabant, eiulatum horribilem exprimentia: spectatoribus non intelligibilem? quæ scena peracta cum esset ad Chmielnicium delata; traditur prophetauisse *Chmielnicius*, Russicis dialectis proloquens. **Bohátyr Weliki Nebeski zápalil Swit; budet horyty sim lit; á po dwoistim sim lit: budet Swetyty Lácki Swit.** Quapropter, qui callet Vaticinia torquere; torqueat ad nutum Diuinum!

Insuper Magnus Heros ac Tetrarcha Russiæ, incomparabilis Dux Wisnouecius, Serenissimo Regi *Ioanni Casimiro*, fideliter cum suis Legionibus adhærens, quæ non tentauit! Loquatur Zborouum, ipsumque Berestecum: quando *Islan Gereius Scytharum, Cirkasiensium, Nahaiensium, Petihorensium, Semensium, Perekopensium, Magnus Chan*, Kosacorum Rebellium Protector; contra Polonos effuderat Agmina Scythica, Sexies Centena Millia, Polono Robori, in campos Berestecens. opponens; ignominiominiosissimæ aream belli dereliquit, ob Ducis *Visnouecij Michaelis Ieremiæ* Miram Prudentiam & Fortitudinem; qui Nobilitatis Polonæ ad publicam Expeditionem descendentis, aliquot Legiones tantum assumens, tanquam Leo ad prædam præcucurrit, insignisque Victoriæ Dux & Auctor extitit, magno cum Stupore Orbis vniuersi. *A. D. 1651. die 30. Iunij.*

Etenim ipse Chan Tartarorum *Islan Gereius*, equum pernicissimum nactus, fuga euasit, relictis expeditioribus Scythis; qui Nobilitatem Polonam retinerent, ac remorarentur: vt Chan elabendi spatium, & amplius & securiùs haberet. Post cuius fugam, insignes Scythæ; *Thoaibeius, Muradin Soltanus, vna cum Agis sex periit: innumeris Murzis, seu Nobilibus Scythicis absq; respectu personarum, trucidatis.* Eo, tempore Belli; si Serenissimus *Ioannes Casimirus*, ardenter Victoriam prosequi mandauisset! dubio procul Scythia tota, exterminata fuisset. Sed de tam felici progressu, per Michaelis Ieremiæ Ducis adoperationem; pleniora adferet tempus Serenum; Serenitatem Regni, sub Serenissimo MICHAELE Rege Poloniæ, per DEVM Potentem designato, enarraturum; Vita Comite.

Dum verò Chronologici Periodi vergunt ad terminum; non possum Scrupulosa obliuione sepelire, insepultum Animum, Magnæ Memoriæ Hieremiæ Michaelis Ducis Wisnouecij; qui stupendam Liberalitatem veriùs Prodigam, erga proximos Charitatem, quoad vixerat, omnibus personis miserabilibus testabatur. Etenim pro liberandis Captiuis, pro subleuandis Nobilibus, pro redimendis Militibus, Religiosis deniq; personis, non Decem Milliones effudit, vti Celeberrimus Scriptor asseruerat, sed Viginti Milliones, ab *Anno 1633.* ad *Annum 1651.* effuderat in solius Patriæ defensionem, & miserorum Captiuorum eliberationem. Ast scrupulosus Calculator, non reputet fundamento carere Veritatem, toti Orbi Polono notam? Etenim Dux *Visnouecius Michael Ieremias*, pro vna Septimana Quinquaginta Millia Florenorum Polonicalium Redituum ac Prouentuum Propriorum habebat; quas Summas Notabiles, & Sibi, & Militibus, & alijs pro Patria laborantibus, destinabat erogandas; præter Bis Centum & Octuaginta Millia! annuatim, inter Militiam diuidenda; ob quam Liberalitatem, toto decursu Vitæ Gloriosus, Victoriosus, Misericors extitit Heros. Quare calculet qui vult, quinquaginta millia Septimanatim erogata; perueniet ad Crysim ferendam, non Decem Milliones tantum, sed plures effudisse, pro Rege; Regno; Patria; ac Captiuis redimendis. Verū si præualebit incredulitas, rem dignam notatu addo? Annulum Connubialem, è Thesauro Zamosciano traditum, iusto precio fulgentem, in pignus dederat *Lupulo Palatino Valachiæ, per Kutnarscij adoperationem*; in finem eliberationis è Captiuitate Scythica, Militum quinque; & totidem Religiosorum PP. Bernardinorum; Si ergo eliberationem personarum tantum æstimauit Dux; vt etiam Annulo Connubiali

non

non parceret? quomodo ergo parcere poterat, nummariæ rei? quùm nummi vſui, non eſui ſeruiant? ſed tam Charus nummorum profuſor, bene mercatus eſt, cæleſtem Benedictionem; pro ſe in Cælo; pro Filio in Terra: quem Deus conſeruet incolumem, vegetum, robuſtum, ætatemque eius prouehat ad tardam ſenectam: in ſolatium Eccleſiæ Sanctæ Romanæ, ac Regni tutellam.

Ceterū ſi quis plura expoſcet, *Ducum Wiſnoueciorū* argumenta, defenſæ Reipub. Si ſpectator fuit; memori voce Vniuerſis, communicet? Si Auditor tantum, alienæ traditioni inſiſtens; etiam idipſum commemoret: talique progreſſu, Zeloſam Heroum Polonorum, ac Lithuanorum defenſionem, Fidei, Reipub. promouebit.

Quis verò Regum, Magnorum Virorum ſudores, labores, incommoda, eſuriem, ſitim, algores, æſtus, cicatrices ſanguine manantes, Vitam denique amiſſam, compenſauit? vt Saltem Heredibus & Succeſſoribus illorum, debitum & æquiſsimum ſolamen, fuiſſet prouiſum!

Nemo profecto Regum Terreſtrium. Solus Cæleſtis Supremus Imperator, Rex Regum, Dominus Dominantium, theſauros Retributionis in manibus retinet: quos vltra Spem Mundi totius, liberaliter admodùm, in Progeniem, fulgentem Virtuoſa Claritate Maiorum, effundere conſueuit. Cui ſit Honor, Gloria, in omnes

Æ T E R N I T A T E S.

S C R I P S I.

AD IBIN STRIDENTEM.

NON tibi placuit primaria Opella mea, Palmitis Coributei ſerie gaudens; neque Palato reſpondit Pogoniaris Miles. ſeu Gediminus Signifer, Lineam Iagellonicam & Coributeam, directiſſimo Sanguine Fraterno fulgentem deferens; Guſtus amiſſus? Stomachi ardentis aut vacillantis eſt indicium; qui reparandus eſſet, vſu limpidarum vndarum. Vidiſti applicatos Palmiti Coributeo, Eximios Sanctitate Viros, ac Fæminas! quorum alij Cognationem cum Rege Sereniſſimo Moderno habent; alij ad Cognationem non ſpectant; ſed ad Promotionem Regalem pertinent; vt ad Faſtos Ciuium cæleſtium promoueantur, apud Sacram Sedem Romanam. Nullum enim tempus Regnantium, à Iagellone, vſque ad IOANNEM CASIMIRVM; à DEMETRIO CORIBVTO, ad MICHAELEM Modernum REGEM, adeo infelix fuit; vt Ætate illa Sanctitas vacaret: quæ Regnantibus, Regnatum feliciſſimum efficiebat. Quare in Signifero, ad radices poſiti ſeu collocati Sanctitate nitentes Viri, in Circulis paruis; Magnos Circulos poſtulant ſibi decerni, & Diui MICHAELIS Ordinibus inſeri; qui Præpoſitus Cæleſtis, Animarum Sanctarum, earumque Repræſentator, ab Eccleſia Romana certò creditur. Non iudicandum itaque erat ante tempus; neque Matari certandum, aut Maſtygæis armis; quandoquidem Sancti, fortioribus Armis vtantur. Vale ſi potes; Viriſque Sanctis noli obgannire; quos Cælum, terraque adorat. Etenim communiter, ſcrupuloſæ Veritati Certæ aduerſantes Ardeæ; damnant aquas; quùm neſciant ipſæ natare.

Hist. Polon 6 fp
23.